DISSERTATIO ULTIMA.

De virtutibus.

CAPUT I.

*Quid & quotuplex ſit virtus*, 352.

Quæſt. I. *Quomodo virtus definiatur?* ib.

Quæſt. II. *Quotuplex ſit virtus?* ib.

Quæſt. III. *Quid ſit virtus moralis?* 353.

CAPUT II.

*De prudentia, ejuſque partibus, officiis, & vitiis oppoſitis.* ib.

Quæſt. I. *In quibus reperiatur prudentia?* 354.

Quæſt. II. *Quænam ſint vitia prudentiæ oppoſita?* ib.

CAPUT III.

*De juſtitia, ejuſque partibus, & officiis.* 355.

CAPUT IV.

*De fortitudine, ejuſque officiis, & partibus.* 357.

CAPUT V.

*De temperantia, ejuſque partibus, & officiis.* 358.

CAPUT VI. & ultimum.

ALLOQUIUM *ad Confeſſarios ſuper beatitudinibus evangelicis.* 360.

§. I.

*BEATITUDO PRIMA.*

Videns autem Ieſus turbas aſcendit in montem, & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus: & aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum *Matth.* v. 361.

§. II.

*BEATITUDO SECUNDA.*

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. 362.

§. III.

*BEATITUDO TERTIA.*

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. 363.

§. IV.

*BEATITUDO QUARTA.*

Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. 364.

§. V.

*BEATITUDO QUINTA.*

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 365.

§. VI.

*BEATITUDO SEXTA.*

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. ib.

§. VII.

*BEATITUDO SEPTIMA.*

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. 366.

§. Unicus.

*in quo*

*Confeſſarii ad evangelicæ legis ſtudium animantur.* ib.

FINIS.





# LIBER PRIMUS

## *DE SACRAMENTIS EXTREMÆ UNCTIONIS, ET ORDINIS.*

# DISSERTATIO PRIMA.

## *DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.*

## PRÆLOQUIUM.

ULtimum tibi, lector optime, *Chriſtianæ Theologiæ* volumen trado, tributum in libros quatuor. Primus liber quatuor concluditur diſſertationibus. Brevis erit prima de ſacramento extremæ unctionis: altera ſacramentum Ordinis exponit: in tertia ſimoniæ flagitium, ejuſque fuci, & tegumenta, quibus incruſtari non raro ſolet, deteſtanda repræſentantur: quarta eſt de Beneficiis Liber ſecundus integer erit de magno matrimonii ſacramento, in quatuor lectus diſſertationes; tertius erit de cenſuris; & quartus de vitiis, & virtutibus oppoſitis. Argumenta tractanda momentoſa ſunt, & ſcitu neceſſaria, præſertim illud de matrimonio, de quo fuſior erit ſermo. Plurium Caſuiſtarum laxitatis paradoxa ſub examen inducam. Cum enim controverſiæ diſcutiendæ ſint de officiis ſenſuum, carnis affectus vehementer intellectum obnubilat, eoque ad judicandum impellit quo caro ipſa inclinat. *Quo enim* (inquit Ludovicus Granatenſis Dom. XVI. poſt Pentecoſt.) *vehemens aliquis affectus propendet, eo ſecum trahit intellectum, qui facile rationes invenit quibus affectui ſuo morem gerat. Magnus enim errorum magiſter eſt affectus corruptus. Ex hoc namque fonte omnes pene mortalium errores oriuntur. Sic frequenter iniquum judicem vel immodicus amor, vel etiam odium erga litigantes a recto deducit, injuſtamque innocentis damnationem juſtam eſſe ſibi perſuadet.* Ne tamen volumen iſtud plus juſto excreſcat, omnia ad vivum reſecare curabo.

### CAPUT I.

*Propoſitiones ab Eccleſia damnatæ, & laxæ, ad ea de quibus in hoc volumine diſſeritur, revocandæ.*

### § I.

*Theſes proſcriptæ ab Alexandro VII. & Innocentio XI.*

ALexander VII. damnavit ſequentes.

22. *Non eſt contra juſtitiam Beneficia eccleſiaſtica non conferre gratis: quia collator conferens illa Beneficia eccleſiaſtica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

40. *Eſt probabilis opinio quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris & pollutionis.*

Innocentius XI. proſcripſit infraſcriptas.

9. *Opus conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

45. *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale; vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra.*

46. *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immo etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic ut illud pluris æſtimetur quam res ſpiritualis.*

47. *Cum dixit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles ipſi judicaverint, ad Eccleſias pro-*

*movent, Concilium vel primo videtur per hoc* Digniores *non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto comparativo pro poſitivo; vel ſecundo, locutione minus propria ponit* Digniores, *ut excludat indignos, non vere dignos; vel tandem loquitur tertio, quando ſit concurſus.*

50. *Copula cum coniugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeoque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.*

### §. II.

*Propoſitiones laxæ Caſuiſtarum.*

DEſtinaveram nullas de matrimonio reſcribere laxas opiniones, quod ſint adeo fœtidæ, & horrendæ, ut legi ſine ſcandalo vix poſſint. Verum quia hæretici nobis improperant, a Caſuiſtis catholicis multa propudioſa defendi; & præſertim impius Petrus Baii plura eorum quæ docet hoc in genere Thomas Sanchez, exaggerat: idcirco paucas aliquas reſcribam, ut calumniantium hæreticorum ora obſtruam, intelligantque, minime quorumdam Caſuiſtarum laxitatis paradoxa a gravioribus Theologis probari.

I. P. Claudius La-Croix *Lib. III. part.* II. *num.* 1000. „ Gobat *num.* 10. putat in Germania licitum eſſe in Monaſteriis per famulos vendere vinum, & panem: id enim proprie non eſſe habere tabernam, aut negotiari, ſed ſua vendere tranſeuntibus. „ Vide infra *diſſ.* II. *cap.* XI. *num.* 6.

II. PP. Salmanticenſes *tract.* XIX. *cap.* I. *punct.* 4. *num.* 55. „ Dicendum igitur eſt, neceſſario requiri ad contractum emptionis, & venditionis, quod traditio pecuniæ, vel alterius rei temporalis fiat ex voluntate dandi illam ut pretium, ſeu commenſurandi illam cum re ſpirituali, tantique æſtimandi: quod fit per contractum oneroſum: hac tamen ſecluſa prava voluntate, *etiamſi temporale detur animo conſequendi ſpirituale*, non ut pretium onerosum, ſed gratis, vel ex gratitudine, aut benevolentia, etiam cum aliqua antidorali obligationis impoſitione, nulla ſimonia committitur, ſive munus ante collationem rei ſpiritualis conferatur, ſive poſt ipſam, ſive ſimul cum ipſa. “ Vide infra *diſſ.* III. *cap.* III. *num.* 16. *& ſeq.*

III. Iidem Salmanticenſes *ibid. num.* 56. „ Si aliquis reſignet Beneficium in manibus Prælati, vel in favorem alterius, *ſed cum eo animo, ſpe, & intentione*, ut alter ex gratitudine, & antidorali obligatione, muneribus, donis, & obſequiis correſpondeat, alias ſine tali ſpe non reſignaturus; ſed neque intendens illum alia obligatione *præter antidoralem* obligare, nec pacto alio oneroſo, aut conventione interveniente, quo alium *rigoroſe* obligare intendat; non erit ſimonia. “ Vide *loc. ſup. cit. num.* 22. *& ſeq.*

IV. Iidem Salmanticenſes *ibidem* „ Idem eſt de eo qui Beneficium in manu Prælati, vel in favorem alterius, reſignat ea ſpe & intentione ut aliud pinguius ab Epiſcopo ſibi conferatur, aliter non reſignaturus; ſi Superiorem non alia, præter antidoralem, obligatione aſtrictum relinquere intendat. Idem eſt in ſimilibus caſibus. Valentia §. III. . . . . . . . Sotus *art.* 2. Rodriguez *cap.* LVIII. Palaus *punct.* 4. Suar. Ugol. Sanch. Diana, Leſſ. Layman *loc. cit.* . . . . . . qui etiam addunt, id verum eſſe, *etiamſi dictam ſpem verbis, vel ſcripto exprimat Superiori*: quia quod optare licet, etiam verbis exprimere licet; & etiam licitum eſt petere ab alio, id quod ex naturali obligatione tenetur. “ Vide *loc. & num. cit.*

V. Iidem Salmanticenſes *ibidem cap.* II. *punct.* 7. *num.* 49. „ Hinc etiam honeſtatur, quod Monaſteria nobilium Monialium pinguiorem dotem, & maiorem ſummam pro ingreſſæ ſuſtentatione exigant: quia quo ſunt Monaſteria celebriora, maiores ſumptus habent, & ſic maior ſumma, ut dos, pro ingreſſura aſſignatur. “ Vide infra *loc. cit. cap.* V. *num.* 13.

VI. Iidem Salmanticenſes *ibid. num.* 50. „ Ceterum, ſi præter dotem ſuſtentationis amplius reciperent, aut peterent Moniales, vel quia ingreſſura eſt minus nobilis, *vel deformis, vel alia infamia; vix excuſari poſſe* a ſimonia, inquit Sanchez *Lib.* II. *cap.* III. *dub.* 22. *num.* 7. quod verum indicamus, *niſi forte* (N. B.) *inde Monaſterio aliquod detrimentum eveniat vel in honore, vel in aliis rebus temporalibus: quia hoc compenſari per incrementum dotis licite poteſt*; ſicut in matrimonio ſupra diximus compenſari æqualitem nobilitatis, vel alterius rei inter coniuges per aſſignatæ dotis auctarium. “ Vide *ibid num.* 14.

VII. Iidem Salmanticenſes *ibid.* „ Hinc liberatur a ſimonia quod apud noſtras Moniales frequenter contingit; nimirum quo, ut recipiatur vigeſima prima, quæ apud nos dicitur *la veinte yuna*, maior dos exigitur; ut duæ ſorores vel tres recipiantur in eodem Monaſterio, *adhuc maior ſumma* requiritur, niſi aliis ſuperexcellentibus qualitatibus ſint ornatæ: ut viduas admittant, *exigitur etiam ut dos augeatur*. Etenim in priori caſu intenditur reddere ingreſſum difficilem, quia cum ex *SS. Virgine M. N. ſancta Thereſia* habeant Moniales noſtræ ut ſolum ſint viginti &c. . . . . . . In aliis duobus caſibus eadem ratione maior dos exigitur, ut difficilior ſit talis ingreſſus, &c. “ Vide *ibid. num.* 15.

VIII. Iidem Salmanticenſes *ibidem num.* 15. „ Si Monaſterium etiam ditiſſimum a recipiendis exigat *ex pacto* pecuniam pro ſuſtentatione, nec ex iure divino, nec ex poſitivo ſimoniam committet. “ Vide infra *loc. cit. num.* 18. *& ſeq.*

IX. P. Nicolaus Mazzotta *tract.* III. *diſp.* V. *cap.* III. *pag.* 235. „ Si autem des aliquid interceſſori ſive mediato, ſive immediato, non quidem pro interceſſione, ſed pro labore, moro ceſſante, damno emergente, diſpendio temporis &c. in eundo & redeundo; non eſt ſimonia, quia illa ſunt quid temporale omnino extrinſecum. *Croix n.* 91. & alii communiter. “ Vide infra *diſſ.* III. *cap.* I. *num.* 3.

X. PP. Salmanticenſes *tract.* XIX. *cap.* IV. *punct.* 2. *num.* 22. „ Emens Beneficium non facit iniuſtitiam, ſed patitur: debebat enim gratis accipere quod dato pretio accipit, & tantum peccat contra religionem, cuius tranſgreſſio non obligat ad reſtituendum. Nec etiam Beneficium conferens peccat contra iuſtitiam, aut ex iure divino invalidam facit collationem. “ Vide infra *diſſ.* III. *cap.* VIII. *n.* 9. *& ſeq.*

XI. P. Thomas Tamburinus *Lib. VIII. cap.* IV. §. 4. *num.* 5. „ Aſſero ſecundo, omnia Beneficia, ſive maiora, ut Cardinalatus, & Epiſcopatus, ſive minora, ut Canonicatus, & Capellania, ſive curam animarum habentia, ut Abbatia, & Parochia, ſive non habentia, ut prædictus Canonicatus, & capellania, & cetera beneficia quæ ſimplicia nominantur, abſtrahendo ad his quæ dantur in concurſu (de quibus mox num. 14.) aſſero, inquam, ſatis eſſe ad evitandum mortale, ſi conferantur dignis, & idoneis, eſto prætermittantur digniores, vel digniſſimi. „ Vide infra *diſſ.* IV. *cap.* VI. *num.* 4.

XII. P. Filliucius *tract.* XLI. *in Append. cap.* IV. *num.* 18. „ Dico quinto ſententiam quæ cenſet, ſatis eſſe dignos eligere ad Beneficia quæ non dantur in concurſu, eſſe probabilem ex Tridentino *ſeſſ.* VII. *cap.* III. *de ref.* dicente: *Conferantur dignis*: & univerſali æſtimatione in creatione Beneficiariorum, & Cardinalium, Epiſcoporum, Abbatum &c. qui ſi inter dignos habeantur, laudatur elector, & electio; non laudaretur autem communiter, ſi mala eſſet, & peccatum mortale. „ Vide *ibid. num.* 5.

XIII. P. Tamburinus *loc. cit. n.* 8. „ Cum immediate antea Concilium videatur eſſe contentum de dignis, vel primo videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle niſi dignitatem eligendorum, ſumpto *comparato pro poſitivo*; vel ſecundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos . . . . . vel tandem tertio loquitur, quando ſit concurſus. „ Vide *ibid. num.* 7.

XIV. P. Thomas Sanchez *Lib. II. diſ.* XV. *num.* 5. „ Probabile eſt valere diſpenſationem Pontificis *in Matrimonio rato* abſque iuſta cauſſa conceſſam . . . . Et ratio eſt, quia eſt probabile indiſſolubilitatem talis matrimonii eſſe de iure humano. „ Vide *Lib. II. diſſ. I. cap.* VIII. §. 7. *num.* 12.

XV. Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* I. *punct.* 6. *num.* 87. „ Sponſalia faciunt licita oſcula, & amplexus inter ſponſos. “ Vide *Lib. II. diſſ.* II. *cap.* VIII. §. 7. *n.* 12.

XVI. P. Thomas Sanchez *Lib. III. diſp.* XVIII. *num.* 29. „ Limitant aliqui hanc ſententiam, niſi adirent ea loca in fraudem decreti Tridentini, ut ibi poſſent libere abſque Parocho, & teſtibus matrimonio copulari; tunc enim aiunt eſſe invalidum . . . . . . Ceterum diſplicet mihi hæc limitatio, & credo, licet adirent eo fine ut poſſent libere abſque Parocho, & teſtibus contrahere, eſſe ratum matrimonium. Primo. Nam qui utitur iure ſuo, non poteſt dici fraudem committere, ut ea ratione effectus impediatur. “ Vide *cit. Lib. & diſſ. cap.* 14. *num.* 16.

XVII. Idem Sanchez *l. c. diſp.* XXXVIII. *num.* 7. „ Tertia Concluſio. Culpa venialis eſt ea verba (*Ego iungo vos &c.*) omittere . . . . . Probatur: quia materia non eſt gravis, cum ea verba non ſint forma ſacramenti, *nec pertineant ad ſolemnitatem magni momenti*, nec includant myſterium magnæ ſignificationis. Prætere-

ea quia quamvis Tridentinum utatur verbis præceptivis, at ſub illo præcepto non continentur tantum ut Parochus ea verba proferat; ſed alia magni momenti, nempe ut præmittantur denuntiationes, & ut matrimonium celebretur coram Parocho, & teſtibus, ut habeat librum &c. „ Vide *loc. cit. diſſ.* II. *cap.* IV. *num.* 44.

XVIII. P. Viva *quæſt.* IV. *art.* 4. *num.* 6. „ Benedictio nuptiarum *non videtur* eſſe res gravis, nec *VALDE CONGRUENS PROGESSUI MATRIMONII*. Etenim benedictio nuptialis non eſt ſacramentum, ſed quoddam ſacramentale, nec tanti momenti, quanti ſacramentalia quæ baptiſmo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali illam ſimpliciter omittere ſine ulla cauſſa contra uſum & conſuetudinem Eccleſiæ; nihilominus *probabile* eſt nullam eſſe culpam ex juſta cauſſa, videlicet ratione temporis feriati in Adventu, aut Quadrageſima conſummare matrimonium ante benedictionem Eccleſiæ, cum videatur eſſe conſilium, non præceptum illam præmittere. " Vide *citat. loc. cap.* V. *num.* 14.

XIX. PP. Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 3. *num.* 41. „ Ex quo inferunt fere omnes Doctores noſtræ ſententiæ, & inferri ex illa teſtantur Sanchez *Lib. VIII. diſput.* XXV. *a num.* 12. & Palaus loco proxime citato, quod ſi talis diſpenſatio remittatur Epiſcopo, ille, antequam expediat eam, interroget contrahentes, an copula inter eos inceſtuoſa ſit habita: *poſſunt* ipſi negare, etiamſi præſtito juramento interroget: quia talis interrogatio eſt ſuperflua, & juridice in tali re non interrogat; & ſic non tenentur juxta illam reſpondere, ſed aſſerere non fuiſſe inter eos copulam, &c. ne veritati contraveniant, in mente retinere poſſunt, *ut tibi dicamus*. Immo etiamſi in reſcripto Pontificis veniat illa clauſula: *Niſi copula inter eos fuerit habita*: quia intelligitur de publica, non de ſecreta. " Vide *Lib. II. diſſ.* III. *cap.* V. *num.* 19.

XX. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* II. *ſect.* I. *n.* 128. „ Aliud eſt conſenſus & complacentia in copulam cogitatam ut præſentem, & delectationem actualem veneream ex tali copula cogitata actu in appetitu ſenſitivo, & partibus venereis conſequentem; quod & ſponſi de futuro, & vidui de præterito moraliter illicitum, & ſolis conjugibus licitum eſt. *Aliud eſt conſenſus & complacentia in copulam cogitatam ut futuram, & delectationem veneream ex tali copula futura aliquando conſecuturam; quod ſponſis illicitum non eſt; cum enim ex ipſis ſponſalibus contractis, velut iure inchoata, talis copula, & delectatio ſit aliquando futura, non debent de ea contriſtari, vel eam averſari, ſed licite in eam conſentire, complacere, vel gaudere de ea poſſunt; cum nihil aliud ſit quam gaudere de ſpe boni futuri, quæ ſpes præſens, & licita eſt. Ita cum plurimis Sanchez, Diana &c.* " Vide infra *Lib. II. diſſ.* IV. *cap.* II. *num.* 4. & 5.

XXI. P. Thomas Sanchez *Lib. I. diſp.* II. *n.* 5. „ Secundum communem ſententiam liciti ſunt amplexus, & oſcula inter ſponſos de futuro, eo quod ſponſalia ſunt initium quoddam matrimonii; ac proinde concedunt ius utendi *voluptate præambula matrimoniali*. Ergo per ſponſalia acquiritur ius in corpus, alias nullus illius uſus concederetur: & conſequenter violans hoc ius per fornicationem, reus erit ultra fornicationem injuſtitiæ admiſſæ, neceſſario aperiendæ in confeſſione. Et hæc ſententia eſt valde probabilis. " Vide *loc. cit. n.* 6. & 7.

XXII. PP. Salmanticenſes *tr.* IX. *c.* XV. *punct.* 6. *n.* 91. „ Utrum inter ſponſos de futuro ſint liciti oſcula, amplexus, tactus, verba amatoria &c. extra pollutionis periculum? Reſpondetur, quod ſi tales actus ad captandam voluptatem fiant, erunt peccata venialia . . . Si ob ſignum amoris, nullum erit peccatum, dummodo ſponſalia inter eos ſint abſoluta; non vero ſi conditionata fuerint. Ratio eſt, quia ſicut ſponſalia ſunt *inchoatio quædam* matrimonii, ſic etiam liciti ſunt in illo ſtatu actus qui quodammodo ſunt copulæ inchoatio & initium. Sanchez *Lib. IX. diſ.* XLVI. Averſa, Diana . . . . . Bonacina, Azor. " Vide *loc. cit. n.* 8. & 9.

XXIII. P. Thomas Tamburinus *Lib. VII. cap.* III. *n.* 61. *pag.* 192. „ Sponſis de futuro valde probabiliter ſine peccato licent quædam amoris ſigna, qualia ſunt oſcula, tactus, aſpectuſque pudici, ac locutiones amatoriæ *etiam propter delectationem in illis naſcentem*, ſed ſine periculo pollutionis, vel conſenſus in illam, vel in copulam; ut nullo modo impudici: ita Thomas Sanchez . . . . *Unam excuſationem invenio in ſponſis eas actiones pudicas exercentes cum pollutionis periculo præviſo, ſed non intento, & ſine periculo conſenſus in illam. Nam ſi in occaſione eſſet UT INURBANUS haberetur, ſi ab illis abſtineret, poſſet eas uſurpare: quia iam adeſt rationabilis excuſatio*: " Vide *loc. cit. n.* 10. & *ſeqq.*





XXIV. P. Gregorius Gobat *tract.* X. *nu.* 671. „ Certum eſt apud omnes DD. oſcula, tactus, amplexus non impudicos licet fieri inter ſponſos, quando fiunt ſecundum conſuetudinem patriæ in ſignum benevolentiæ ad conciliandum & fovendum mutuum amorem in ordine ad matrimonium. Ita loquitur Perez. Et quidem ſunt ob finem prædictum licitum liciti hi actus, *licet adſit periculum pollutionis*, modo non ſit periculum conſenſus in veneream delectationem. " Vide *ibid. n.* 14.

XXV. P. Thomas Sanchez *Lib. IX. diſp.* XLVI. *num.* 48. „ Oſcula, & amplexus, aliique tactus non impudici excuſantur a culpa mortali inter ſponſos de futuro ratione contractus ſpoſalium inter ipſos initi. Ratio eſt, quoniam ſicut matrimonium ipſam cohoneſtat copulam; ita ſponſalia, quæ quoddam matrimonii initium ſunt, cohoneſtare debent hujuſmodi tactus, *qui inchoatio quædam ſunt copulæ*: præſertim quia ſic magis fovetur amor in ordine ad matrimonium . . . . *Num.* 49. Atque hæc concluſio vera eſt, quamvis ſponſi *intendant eam delectationem* ſenſitivam quæ ex ipſis amplexibus, & oſculis oritur. Quia ſponſalia, quæ matrimonii initium ſunt, excuſant a mortali hanc delectationem, quæ copulæ inchoatio eſt, & in omnino ſolutis eſſet culpa mortalis. " Vide *ibid. n.* 15.

XXVI. P. Gobat *tr.* X. *num.* 672. „ Sanchez *loc. cit. n.* 49. utitur quidem nomine delectationis *ſenſitivæ*, ſed per hanc *certe* intelligit *veneream*, ut patet ex *num.* 5. . . . . . Fateor tamen, non raro fieri ut Confeſſarius *cogatur* in praxi ſupponere ſententiam *Sanchezii*, niſi velit tales ſponſos dimittere *ſine abſolutione*, utpote quibus ægre perſuadebit *aut illos amplexus, oſcula &c. eſſe mortalia; aut agnoſcentes eſſe mortalia, forment propoſitum ſe emendandi*. " Vide *ibid. n.* 16.

XXVII. Salmanticenſes *tr.* IX. *cap.* XV. *punct.* 4. *n.* 41. Quod verum eſſe aſſerit *Sanchez* cum *Averſa*, & *Navar. etiam ante contractum matrimonium*, ſi videat ignorantia invincibili velle ad illud accedere, credatque quod eius admonitioni non acquieſcet, ſed læſa conſcientia contracturam quæ bona fide contraheret, *vel magna difficultate*, & ſcandalo a tali matrimonio receſſuram. Prudenter igitur Confeſſarius tunc ſileat: *immo tacere tenetur*, inquit Sanchez *n.* 7. *etiamſi ignorantia ſit iuris divini*, propter eamdem rationem. " Vide *infra Lib. diſſ.* IV. *cap.* VI. *n.* 6.

XXVIII. P. Claudius La-Croix cum Gobat ultra pergit *Lib. VI. part.* III. §. 3. *nu.* 541. „ Quamvis prævideatur quod monitio ſit profutura; ſi tamen coniuncta ſit cum graviſſimo incommodo alterius, v. g. proſium, Confeſſarius non tenetur monere *ſed poteſt permittere* eos in bona fide. Gobat *a n.* 57. iterumque *nu.* III. & *Sporer*. „ Vide *cit. loc. n.* 7.

XXIX. P. Georgius Gobat *tr.* VII. *num.* 315. „ Quid faciet Confeſſarius, ſi videat pœnitentem ex invincibili ignorantia obnoxium v. g. mollitiei, cuius gravitatem edoctus ob habitum pravum vix abſtinebit? His verbis propoſita fuit illa quæſtio, applicataque huic peculiari vitio, cum poſſet pluribus. Reſpondi autem ex ſcriptis illo *cit. cap.* XXXVII. *n.* 61. ſi, probe conſideratis circumſtantiis illius pœnitentis, omnino indicetur *nihil plane profuturam monitionem*, ſed cognita a ſe committi grave ſcelus, nihilo rarius patraturum illud quam fecit ignarus turpitudinis tantæ, coram Deo DISSIMULANDAM ESSE MANIFESTATIONEM VERITATIS. " Vide *infra Lib. II. diſſ.* IV. *cap.* VI. §. I. *n.* 4.

XXX. Idem Gobat ibidem *num.* 317. „ Et vero non ſemel didici, eſſe qui inculpabiliter ignorarent mortalem malitiam huius flagitii. Igitur practice loquendo, non tam quærendum eſt de illo qui plane numquam peccatum illud omittet ob cognitam turpitudinem, quam de illo ſolo *qui vix omittet, ſeu vix abſtinebit*, ut loquuntur illæ litteræ, id eſt qui quandoque, etſi rariſſime, abſtinebit, ſicut pro dolor! gemunt Confeſſarii ſe nactos complures huius fœdiſſimi ſimul & fœtidiſſimi furfuris. *De hoc quoque cenſeo intelligendam ſententiam D. Auguſtini. Moraliter enim non tam prodeſt, quam obeſt* ILLA MONITIO, quæ tantum impediret ſex, octo, decem peccata formaliter mortalia, cauſſabit autem ducenta, trecenta itidem mortalia. " Vide *loc. cit. n.* 6.

XXXI. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. part.* III. *num.* 299. „ Qui probabiliter putat „ ma-

matrimonium eſſe validum, licite petit debitum: tum quia eſt poſſeſſio pro illo, tum etiam quia aliquis poteſt hic uti & alibi, ſequi ſententiam probabilem .... *Additque Averſa, etiamſi opinio pro invaliditate eſſet PROBABILIOR; & hoc eſt conforme* dictis *Lib. I. a n. 168. de uſu liciti opinionis probabilis.* " Vide *Lib. II. diſſ.* VI. *cap.* VI. §. 3. *n.* 7.

XXXII. P. Dominicus Viva *de ſacram. matrim. qu.* VII. *art.* 3. *n.* 9. *pag. mihi* 133. „ Demum, ſi alter habeat opinionem probabilem de nullitate matrimonii, & ſimul habeat opinionem probabilem de eius valore, licite poteſt petere, & reddere; cum poſſit amplecti alterutram opinionem probabilem quam mavult, etiamſi una ſit probabilior quam altera. " Vide *inf. Lib. II. diſſ.* VI. *cap.* VI. §. 3. *n.* 11.

XXXIII. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *n.* 301. „ Si matrimonio bona fide contracto ſuperveniat dubium de valore, & poſt inquiſitionem nil reſciri, nec dubium deponi poſſit; *prima ſententia*, quam tenet S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, P. Soto, Ledeſma, Val. Valq. Azor. Rebell. Pont. Hurt. Turrecr. Arr. Averſ. & alii 17. cum Schild, dicit, poſſe quidem reddere debitum, ſed non petere, quia id videtur eſſe deciſum cap. *Inquiſit.* de ſent. excom..... *Secunda ſententia*, quam defendunt Sot. Veracrux, Vict. Lopez, Suar. Con. Laym. Bon. Reg. Leſſ. Lorc. Breſſ. Lug. Boſ. Bardi, Sanch. Dian. Dicaſtil. Terill. Carden. dicit, poſſe etiam petere debitum .... *Atque hæc ſecunda ſententia videtur, ſaltem ſpectata ratione, eſſe probabilior.* " Vide *loc. cit. num.* 12.

XXXIV. P. Dominicus Viva *quæſt.* VII. *art.* 1. *n.* 3. „ Quæritur ſecundo, quo tempore ſit illicitus actus coniugalis? Reſpondeo, *non eſſe illicitum* diebus feſtis, aut ieiunii, *nec die communionis*, nec quo tempore uxor eſt gravida, aut prolem lactat, *aut menſtruum patitur*, nec ante benedictiones nuptiales; quamvis conſilium ſit iis temporibus abſtinere. " Vide *loc. cit. cap.* VIII. *n.* 20.

XXXV. P. Patritius Sporer *Part. IV. cap.* II. *ſec.* 3. §. 3. *n.* 490. *pag.* 356. „ Etſi enim uxor ſciat maritum *ſolere* copulam abrumpere, & ſemen effundere, non tamen peccat *nec petendo, nec reddendo*, dummodo ipſa non conſentiat, nec cooperetur: quia non ſequitur ex actione uxoris, ſed præciſe ex malitia viri. " Vide *infra loc. cit. cap.* IX. *n.* 7.

XXXVI. P. Antoninus Diana *part.* III. *reſol.* 37. „ Quidam inchoabat copulam cum uxore, poſtea ob morbi periculum de eius conſenſu ſe retrahebat; verum ex hoc aliquando ſequebatur pollutio. Quæſitum a me fuit, an talis actus eſſet licitus? *Reſpondi affirmative.* " Vide *ibidem n.* 8.

XXXVII. P. Sporer *loc. ſupra cit.* „ Inſuper ceſſante omni periculo pollutionis in utroque coniuge coniuges mutuo conſenſu inchoatam copulam abrumpentes, *ne proles generetur*, ſive ob inopiam, ſive ob aliam cauſam non peccare mortaliter, docent *Doctores* ſatis communiter. " Vide *ibid. n.* 9.

XXXVIII. Idem P. Sporer *ibidem*. „ Qui (DD.) id etiam ab *omni culpa* excuſant, quando iuſta cauſa ſubeſt; v. g. ob paupertatem, ne multiplicetur proles *ex una parte; ex altera vero parte ad ſedandam aliqualiter concupiſcentiam, & incontinentiam vitandam.* " Vide *loc. cit. n.* 10.

XXXIX. P. Thomas Sanchez *Lib. IX. diſp.* XVIII. *n.* 5. „ Quod ſi vir in ſuperficie tantum vaſis præpoſteri uxoris fricaret ſua verenda, vel in os eius intromitteret ceſſante omni pollutionis periculo, non crederem eſſe mortale. " Vide *ibid. n.* 16.

XL. PP. Salmanticenſes *tract.* X. *cap.* VIII. *punct.* 4. *n.* 52. „ *Sed nos* cum hac diſtinctione ad difficultatem reſpondemus, & propoſitionem damnatam, prout ad nos attinet, explicamus. Quod ſi fuga nec periculoſa eſt, *nec ignominioſa aggreſſo*, irregularitatem incurret aggreſſorem occidendo, ſi fugiendo poſſet ſuum damnum evitare: quia in hoc *fas non eſt &c.* ut inquit Pontifex. *Si vero ſit ignominioſa illi, ut ſi vir nobilis, aut miles eſſet, quibus indecorum eſt fugam capere;* poteſt reſiſtere invaſori, & *fas eſt* illum occidere non excedendo moderamen inculpatæ tutelæ. " Vide *Lib. III. de cenſ. diſ.* II. *de irregul. cap.* VI. *n.* 15.

XLI. Iidem Salmanticenſes *ibid. n.* 54. „ Scimus autem *Dianam .... & Filliucium tract.* XX. *cap.* 5. *n.* 133. aſſerere quod ſi Clerico, aut Religioſo in aliquo eſſet fuga ignominioſa, poſſet ſe defendere, nec incurreret irregularitatem, ſi invaſorem occidat. Et addit *Leander* tract. II. diſp. XII. qu. 38. quod Clerici, aut Religioſi regulariter & abſolute *nullo modo* tenentur fugere, ut evitent conatum iniuſte invadentis; ideoque ſi occidant defendendo ſe, non fieri irregulares: quia regulariter loquendo fuga in ipſis inveniri non poteſt, quæ *aut indecora non ſit, aut damnoſa*, aut periculoſa. Scimus etiam Filliucium *n.* 135. ſenſiſſe, quod etiam ille qui cauſſam ſua culpa invaſori dedit, ſi non prævidit damnum futurum, poſſet invaſori reſiſtere, abſque eo quod incurreret irregularitatem, eum occidendo, tametſi fugiendo ſe liberare poſſet. Scimus etiam, *Fagundez*, & ex illo *Leandrum tr.* II. *diſp.* XII. *q.* XXXVI. dixiſſe nobiles, aut milites, qui *etiam abſque nota fugere poſſent*, poſſe licite invadenti reſiſtere: quia ex ſe fuga nobilibus, aut militibus ſemper ignominioſa eſt, & per accidens eſt quod in tali caſu non ſequatur: & addit idem *Leander pluribus citatis* qu. XXXVIII. quod etiam *homines ignobiles, aut mechanici*, qui fugam *ſine periculo* poſſent capere, licite invaſori reſiſtent, *nec fiunt irregulares occidendo: quia omni generi perſonarum fugere eſt infamia, quam omnes vitare tenentur.* " Vide *loc. cit. n.* 16.



Hæc ex Salmanticenſibus reſcribere volui, ut ſemper luculentius appareat, quam ſit putida, & inaudita impoſtura illa quam nonnulli fabulatores apud imperitum vulgus diſſeminant, me truncatas, & minus ſincere tranſcribere laxas quorumdam Caſuiſtarum opiniones. Numquid diſturi ſunt, Salmanticenſes minus ſincere, aut fraudulenter narrare præfata laxitatis paradoxa, quæ tamen omnia nec ipſi probent? Sed ex iiſdem reſcribere illa volui, ut ora obſtruerem illorum qui omnia caſuiſtica commenta propugnare gloriæ ſibi vertunt. Porro ſi citati Doctores moderni cum aliis non paucis defendere non ſunt veriti, & *ignobiles*, & *mechanicos*, & *Religioſos ipſos*, qui vel conſilia evangelica profitentur, non debere fugam arripere, ut evitent homicidia: quia *omni generi perſonarum fugere eſt infamia, quam omnes vitare tenentur*: ſed poſſe reſiſtendo occidere homines: ſi, inquam, hæc antievangelica laxitatis commenta evulgare auſi ſunt; & tam evidenter contradicere Evangelio clamanti Luc. VI. *Et qui te percutit in maxillam, præbe & alteram*: quiſque colligat, qua maiori libertate & facilitate laxaverint, attemperaverint, perturbaverint alias leges quæ non ſunt adeo luculentæ, & manifeſtæ.

XLII. P. Herman. Buſembaum *Lib. V. cap.* III. *dub.* 5. apud P. Claudium La-Croix *numer.* 293. *pag.* XLIII. Hinc *probabile eſt* quod docet *Nav. Tol.* &c. & non repugnat *Laymanus*, ſecluſo ſcandalo, & alii, veniale tantum eſſe uſque ad *vomitum* ſe cibo & potu IMPLERE: idque etiam ſi quis VOMAT. UT ITERATO POSSIT BIBERE. " Vide *Lib. V. de pec. diſſ.* II. *c.* 6. *n.* 9. *& ſeq.*

XLIII. P. Claudius La-Croix *Lib. V. n.* 313. „ Ad morbum gravem etiam non letalem curandum, *aut cavendum* licitam eſſe inebriationem, docent multi cum Gobat a *num.* 15. ſi aliter curari, aut caveri nequit. " Vide *loc. cit. cap.* VII. *n.* 8. *& ſeq.*

XLIV. P. Buſembaum *Lib. V. cap.* III. *art.* 2. „ Si quis poſt potum diſcernere adhuc poſſit inter bonum & malum, licet nonnihil phantaſia turbata ſit, aut ſequatur vomitus, lingua titubet, pedes vacillent, oculi cernant duplicia, vel domus gyrari videatur, nondum plena eſt ebrietas: ideoque tantum peccatum veniale, quamvis ex gravioribus, ſi DELIBERATE ſit commiſſum. *V. Layman loc. cit.* " Vide *loc. cit. n.* 22. *& ſeq.*

XLV. P. Thomas Tamburinus *Lib. V. in Decal. cap.* 1. §. 3. *n.* 37. „ Quando doleo de bono alterius, ut eſt diminutivum meæ excellentiæ, non doleo de bono alterius abſolute, ſed formaliter de malo meo, de diminutione meæ excellentiæ quæ mihi mala eſt.... ſicut enim ſi gauderem de malo alterius, v. g. *de morte patris, ut cauſſante immediate bonum meum*, puta hereditatis ſucceſſionem, non eſſe peccatum iuxta *omnes*, ſupra vidimus: *ſic contra ſi doleam de bono alterius*, ut cauſſante immediate malum meum, culpa non erit. " Vide *infra loc. cit. cap.* IX. *n.* 7. *& ſeq.*

XLVI. Idem P. Tamburinus *ibidem n.* 40. „ Et S. quidem Thomas, ceterique Doctores citati lit. H. quando tamquam certum ſupponunt invidiam eſſe triſtitiam qua quis dolet de bono alterius, ut eſt diminutivum propriæ excellentiæ, SUNT INTELLIGENDI deſcripſiſſe invidiam ab effectu. " Vide *infra loc. cit. n.* 8. *& ſeqq.*

## CAPUT II.

*Extrema unctio eſt verum ſacramentum a Chriſto Domino inſtitutum. Quænam ſit eiuſdem materia, & forma.*

I. GRæci hoc ſacramentum *ſanctum oleum, poſtremam unctionem*: Latini *ſacramentum exeuntium, unctionem ſacrati olei, ſe-*

*cram unctionem*, & communius *unctionem extremam* appellare ſolent. Lutherus *Lib. de captiv. Babyl.* a ſacramentorum cenſu extremam unctionem reiicit. Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* XIX. hoc ſacramentum *hiſtrionicam hypocriſim* more ſuo appellat. His hæreſiarchis conſentiunt Proteſtantes omnes, præſertim Kemnitius, Melanchthon, ceterique. Fatentur hanc ſacram unctionem Apoſtolorum tempore adhibitam fuiſſe, immo etiam poſt tempora apoſtolica; at ceſſaſſe cum dono linguarum, & numquam fuiſſe verum ſacramentum effutiunt.

II. Ex divinis Scripturis extremam unctionem eſſe verum ſacramentum evincitur. Nam in catholica Iacobi epiſtola hæc *cap.* V. habentur. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Omnia his verbis continentur quæ ad veram ſacramenti rationem requiruntur. Habetur res ſacra ſenſibus ſubiecta, ut eſt olei unctio, quæ *materiam*, & Presbyterorum oratio, quæ *formam* conſtituunt. Habetur etiam inſtitutio dominica neceſſaria conſecutione: Apoſtolus enim ad univerſas Eccleſias, ubique terrarum diſperſas, ſcribit id quod a Chriſto Domino promulgandum acceperat. Denique in præfatis verbis effectus huius ſacramenti exponitur, nempe delictorum, ſi quæ ſunt, expiatio, & ægroti animi alleviatio, & inſtauratio ad reſiſtendum dæmonis tentationibus, & corporis ſanitas, ſi æternæ ſalutis expediens fuerit. Concilium Tridentinum doctrinam catholicam confirmavit, labefactato Novatorum errore *ſeſſ.* XXIV. *can.* I. his verbis. *Si quis dixerit extremam unctionem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto domino noſtro inſtitutum, & a B. Iacobo Apoſtolo promulgatum; ſed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.*

III. Chriſtus Dominus igitur hoc ſacramentum inſtituit, non, ut blaterant Novatores, Iacobus, qui tantum illud promulgavit. Garriunt cæci homines, epiſtolam Iacobi fuiſſe perperam intruſam in *canonem* Scripturarum; cum ipſa divinitus inſpirata non ſit, nec talis ab initio habita. Sed illorum commentum SS. Patrum, & univerſæ Eccleſiæ cum Græcæ, tum Latinæ traditio improbat, ut innumeri Theologi catholici demonſtrarunt. Diſputatur etiam a nonnullis Theologis catholicis, an non modo S. Iacobi, verum etiam S. Marci Evangeliſtæ auctoritate evincatur ſanctum oleum eſſe verum novæ legis ſacramentum? Nam etiam Marci VI. dicitur. *Ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* I. definit extremam infirmorum unctionem eſſe verum ſacramentum *apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum ac Domini fratrem fidelibus commendatum ac promulgatum.* Porro quamvis aliqui Theologi catholici, præſertim Dominicus Soto, & Card. Bellarminus in teſtimonio Marci non videant veram ſacramenti inſtitutionem, neque id definiverit Tridentina Synodus, cum ibi remiſſionis peccatorum mentio non fiat; omnes tamen affirmant, verbis Iacobi verum ſacramentum deſignari, ut Tridentinum declaravit. Unius Caietani auctoritatem obtrudunt Novatores; ſed de more infeliciter. Nam Caietanus ipſe extremam unctionem ut ſacramentum propugnat; quamvis S. Iacobi verba falſo in ſenſu ſit interpretatus: cuius aberrationem acriter Ambroſius Catharinus profligavit in *annotationibus in Commentaria* Caietani, nihil motatus quod Dominicanus Caietanus fuerit. Et revera qui falſas opiniones defendendas ſuſcipiunt, quia a conſodalibus eiuſdem inſtituti traditis, non pro Eccleſia Dei, non ad maiorem Dei gloriam, ſed pro domo ſua, & pro imaginaria gloria infeliciter belligerant. Alia plura quæ opponere Proteſtantes ſolent, miſſa facio, cum ſint a præclariſſimis Theologis penitus labefactata.

IV. Quæſt. I. *Quænam ſit iſtius ſacramenti materia?* Reſp. duplex illius ſacramenti materia: remota, & proxima. Remota, de qua in præſentia, eſt oleum ex baccis olivarum expreſſum, quia iſtud proprie, & iuxta communem ſenſum abſolute *oleum* nuncupatur. Et hoc docent Catholici omnes auctoritate S. Iacobi dicentis, *Ungentes eum oleo*, nixi.

V. Quæſt. II. *Debet ne oleum iſtud conſecratum ab Epiſcopo eſſe non modo neceſſitate præcepti, verum etiam neceſſitate ſacramenti?* Reſp. Omnes Catholici affirmant, neceſſarium eſt huiuſce olei peculiarem benedictionem neceſſitate præcepti, ſeu ex Eccleſiæ inſtitutione; at diſſertant in utramque partem circa neceſſitatem ſacramenti. Negantem ſententiam defendunt Natalis Alexander *cap.* I. *art.* 2. Le-Druin *Lib. VII. quæſt.* II. *cap.* I. Iuvenin *quæſt.* III. *cap.* I. & hæc ſententia, teſte Ludovico Habert *qu.* IV. *cap.* II. in Academia Pariſienſi communis evaſit. Idem Habert, & Turnely utramque ſententiam approbant. Mihi probabilior eſt ſen-

ten-



tentia quæ propugnat olei conſecrationem neceſſariam eſſe neceſſitate ſacramenti, quia eam S. Thomæ eſſe certum eſt. Inquit enim Angelicus in Supplem. quæſt. XXIX. art. 5. *Dicendum, quod quidam dicunt, quod oleum ſimplex eſt materia huius ſacramenti; & in ipſa ſanctificatione olei, quæ fit per Epiſcopum, perficitur ſacramentum. Sed hoc patet eſſe falſum ex his quæ de Euchariſtia dicta ſunt... ubi oſtenſum eſt, quod ſolum illud ſacramentum conſiſtit in conſecratione materiæ.*

*Et ideo dicendum eſt, quod hoc ſacramentum conſiſtit in ipſa unctione, ſicut baptiſmus in ipſa ablutione: & materia huius ſacramenti eſt oleum ſanctificatum. Poteſt autem triplex ratio aſſignari, quare exigitur materiæ ſanctificatio in hoc ſacramento, & in quibuſdam aliis. Prima eſt, quia omnis efficacia ſacramentorum a Chriſto deſcendit: & ideo ſacramenta illa quibus ipſe eſt uſus, habent efficaciam ex ipſo uſu ſuo; ſicut tactu ſuæ carnis vim regenerativam contulit aquis. Sed hoc ſacramento non eſt uſus, nec aliqua corporali unctione: & ideo in omnibus unctionibus requiritur ſanctificatio materiæ. Secunda cauſa eſt propter plenitudinem gratiæ, quæ confertur, non ſolum ut tollat culpam, ſed etiam reliquias culpæ, & infirmitatem corporis. Tertio eſt ex hoc quod effectus eius corporalis, ſcilicet ſanatio corporalis, non cauſatur ex materia naturali proprietate: & ideo oportet quod hæc efficacia ſibi per ſanctificationem detur.*

VI. Rurſus S. Thomas *III. Part. q.* LXXII. *art.* 3. quærit, *utrum ſit de neceſſitate huius ſacramenti* (confirmationis) *quod chriſma fuerit prius per Epiſcopum conſecratum?* De neceſſitate ſacramenti, non præcepti, hic loquitur. Porro ſic concludit. *Et ideo tam chriſma, quam* OLEUM SANCTUM INFIRMORUM *prius benedicuntur, quam adhibeantur ad uſum ſacramenti.* Et tempore S. Thomæ communis erat ſententia hæc: & Concilia omnia, & Patres aſſerunt, materiam huius ſacramenti eſſe oleum conſecratum.

VII. Diſputant Theologi, num auctoritate apoſtolica valeat ſimplex Sacerdos oleum iſtud conſecrare? Affirmans ſententia mihi eſt probabilior. Communis enim ſententia docet, ipſum chriſma ex apoſtolicæ Sedis indulto a ſimplici Presbytero conſecrari poſſe. Ergo potiori iure conſecrari hoc oleum valet ex eiuſdem ſanctæ Sedis privilegio: quod raro tamen concederetur, nonniſi urgente neceſſitate. Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. feliciter regnans in ſuo opere *de Synodo Lib. VII. cap.* XVI. animadverit, in Eccleſia Orientali a mille & amplius annis ipſos Presbyteros oleum iſtud benedicere: quem morem numquam improbavit Eccleſia Latina, ſed ratum habuit.

VIII. Quæſt. III. *Quænam ſit materia proxima huius ſacramenti?* Reſp. Uſus materiæ remotæ eſt materia proxima illius ſacramenti. Si enim uſus aquæ, & chriſmatis, nempe ablutio, ſunt materia proxima baptiſmatis, & confirmationis: ergo unctio, quæ eſt conſecrati olei uſus, dicitur & eſt materia proxima huius ſacramenti.

IX. Quæſt. IV. *Quot infirmi partes ſunt ungendæ?* Reſp. Diverſa circa corporis partes inungendas diſciplina in variis Eccleſiis obtinuit; ut ex pluribus Ritualibus a Martene, Launoio, Menardo adductis patet. Eugenius IV. in decreto pro Armenorum inſtructione ſeptem unctiones fieri præcipit, nempe *in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Et cuilibet unctioni applicanda forma eſt. Similia docet Catechiſmus Tridentinus *Part. III. cap.* VI. §. 10. In feminis iure omittitur unctio renum propter honeſtatem, verecundiam, & pudorem; præſertim quod talis unctio neceſſaria non ſit.

X. Diſputant Theologi, an unctiones quinque ſenſuum ſint eſſentiales? Alii affirmant, alii negant. Illud certum eſt, omnes ſaltem quinque corporis partes, nempe oculos, nares, os, aures, manus ex præcepto Eccleſiæ inungendas eſſe. Non eſt neceſſe ut ambo oculi, vel ambæ manus ungantur; ſed ſat eſt unum ſenſum ungere. Si ſenſus ungendus, puta oculus, vel manus, deſit, pars illi propinquior ungatur. Urgente mortis articulo, ſi timeatur ægrotum diſceſſurum e vita, antequam omnes quinque ſenſus ungantur, Parochi *quinque ſenſus* (inquit BENEDICTUS XIV. loc. cit. cap. XVIII. numer. 5.) *inungant, formam univerſalem proferendo. Quinimmo in prædicto eventu conſultius eſt ut caput, a quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt, ſub eadem forma univerſali inungatur.* Unuſquiſque in hoc adminiſtrando ſacramento firmiter adhæreat ſuæ Eccleſiæ Rituali.

XI. Quæſt. V. *Quænam ſit forma extremæ unctionis?* Reſp. Eſt oratio quam Sacerdos fundit, dum ægrotum inungit: idque habetur in epiſtola Iacobi: *Orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Sacramenti huius for-

formam Chriſtus non determinavit in *ſpecie infima*, ut aiunt, hoc eſt certis verbis præſcripta. Quare variæ ſunt orationum formulæ in Eccleſia Latina, & Græca, quæ eumdem referunt ſenſum, rataque habentur.

XII. Quæſt. VI. *Forma hæc deprecatoria ne, an indicativa eſſe debet?* Reſpondeo, Deprecativam eſſe ſufficientem, & convenientem, de fide eſt: quia ſic definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *can.* III. ubi hæc habentur. *Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum, & uſum quem obſervat S. Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ B. Jacobi Apoſtoli, ideoque eum immutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contemni; anathema ſit.* In ritu autem Romanæ Eccleſiæ forma eſt deprecativa, nempe: *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus &c.* Hanc ſententiam docet Sanctus Thomas in *Supplemen. quæſt.* XXIX. *art.* 8. cui ſubſcribunt communiter Thomiſtæ. Quam ſententiam definivit, ut vidimus, Tridentinum citato canone. Verum non ita eamdem definivit, ut declaraverit indicativam fore irritam. Plures enim Theologi probabiliter defendunt, etiam indicativam validam eſſe. Verum, ut ut ſit de hac diſputatione, illud eſt certum, ſolam deprecativam in praxi adhibendam eſſe quam nemo abſque gravi flagitio negligere poteſt. Quæ adducuntur in favorem indicativæ formæ, reſolvit S. Thomas *loc. cit.*

## CAPUT III.

*De miniſtro ſacramenti extremæ unctionis.*

I. QUæſt. I. *Quis ſit extremæ unctionis miniſter?* Reſp. Novatores contendunt, ſeniores ætate, vel magiſtratus, aut primates communitatis eſſe miniſtros ſacræ unctionis quam commendat S. Iacobus. Quem errorem damnavit Tridentina Synodus *ſeſſ.* XIV. *can.* IV. his verbis. *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Iacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopis ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis communitate; ob idque proprium extremæ unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem; anathema ſit.* De fide igitur eſt ſolos Presbyteros eſſe huiuſce ſacramenti miniſtros: & hoc perſpicue ex S. Iacobo patet. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ.* Nomine autem Presbyterorum intelliguntur Sacerdotes.

II. Quæſt. II. *Quot requiruntur Presbyteri ad hoc ſacramentum miniſtrandum?* Reſp. Septem adhibentur in Eccleſia Græca. Plures quoque in Eccleſia Latina olim conveniebant ad ungendum infirmum. Verum nunc unus ſufficit. BENEDICTUS XIV. in ſua conſtitutione, *Etſi paſtoralis*, de Ritibus Græcorum §. 5. *nu.* 3. inquit: *Nec refert, utrum eadem extrema unctio per unum, vel per plures Presbyteros fiat, ubi huiuſmodi viget conſuetudo, dummodo credant, & aſſerant illud ſacramentum, ſervata debita materia & forma, ab uno Presbytero valide & licite conferri.* Quando tamen plures Sacerdotes inungunt infirmum, ſinguli formam pronuntiare debent. Si enim unus ungeret, alter formam pronuntiaret, non fieret ſacramentum, ut docet Sylvius in *Suppl. quæſt.* XXXII. *art.* 2. quia, cum unctio ſit materia proxima huius ſacramenti, ab eodem qui inungit, determinari debet. In extrema neceſſitate, quando ſtatim infirmus deceſſurus timeretur, poſſe plures Sacerdotes unctiones præſtare, & unum unam, alterum alteram corporis partem ungere, & formam pronuntiare, docent non pauci iuniores, quos citat, & ſequitur P. Viva *quæſt.* VI. *art.* 2. *num.* 1.

III. Quæſt. III. *Quiſnam ſit miniſter, qui licite hoc ſacramentum adminiſtrare valeat?* Reſp. Parochus eſt miniſter ordinarius huius ſacramenti. Ceteri Sacerdotes, qui abſque Parochi licentia aut expreſſa, aut tacita miniſtrarent hoc ſacramentum, graviter peccarent, & Religioſi Mendicantes excommunicationem Clementinæ de privilegiis incurrent. Neceſſitate tamen urgente, ut ſi infirmus iam iam deceſſurus eſſet, & Parochus abeſſet, ſufficit licentia interpretativa, qua præſumitur Parochi conſenſus; ut declaravit S. Carolus in Concilio Mediolanenſi V. *Porro ſi is* (Parochus) *impeditus, aut alios in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, hoc* (ſacramentum) *Sacerdos alius adminiſtret.* Clementina enim eſt in bonum ordinata, ad impediendus nempe abuſus, non in deſtructionem. Quare ſi Parochus malitia nollet ſacramentum miniſtrare, quilibet Sacerdos ſive ſecularis, ſive regularis, etiam renuente Parocho, poſſet ſacramentum conferre; dummodo Parochus nollet, & abeſſet fraus omnis. Simplex Sacerdos ſub mortali non tenetur hoc ſacramentum adminiſtrare, niſi infirmus valde indigeret; ut quando ſine alio ſacramento decedere cogeretur: tum enim etiam ſimplex Sacerdos miniſtrare renuens graviter contra caritatem peccaret.

IV. Quæſt. IV. *Utrum Parochus ſub mor-*

*tali*



*tali obſtringatur hoc ſacramentum conferre?* Reſp. Communis ſententia affirmat. Siquidem Paſtori ex officio, & iuſtitia incumbit paſcere oves ſuas. Peccat autem, tum ſi hoc ſacramentum denegat, tum ſi plus iuſto differat cum gravi periculo infirmi. Deficiente Parocho, tenetur Epiſcopus. Diſputant iuniores, num, graſſante peſte, teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc ſacramentum adminiſtrare, cum non ſit ſacramentum neceſſitatis. Affirmat Nugnus cum aliis: ceteri communiter negant. Sed diſtinguendum eſt. Si infirmus alia ſacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ non ſuſcepiſſet, teneretur Parochus etiam cum vitæ diſcrimine ſacramentum illud adminiſtrare. Si præfata ſacramenta eſſent adminiſtrata, tum non auderem peccati mortalis damnare Parochum, ſi tempore peſtis omitteret adminiſtrare hoc ſacramentum, quando inſtaret vitæ periculum, ut ſanum ſe conſervaret ad alia omnino neceſſaria ſacramenta adminiſtranda. Sacramenta enim confeſſionis, & communionis cum periculo vitæ adminiſtrare Parochus obſtringitur: quidquid in oppoſitum dicat Thomas Hurtado cum aliis Caſuiſtis. Paſtor enim ex iuſtitia eſt conſecratus gregis ſui curationi. Ergo non poteſt ob timorem mortis peſtis tempore abſolute omittere horum ſacramentorum adminiſtrationem. Qui mortem timent, Paſtoris officium non ſuſcipiant. Quid, ſi tempore peſtis ægroti ſanctum oleum peterent? An ſine graviſſimo peccato & ſcandalo denegare illud Parochi poſſent? Tum itaque ſolum excuſarem Parochum, quando nempe, ut poſſet populo periclitanti ſuccurrere aliis magis neceſſariis confeſſionis & communionis ſacramentis, evitaret mortis periculum in miniſtrando oleo ſancto. Addo: ſi ægroti illud petant, nullo prorſus modo, etiamſi vitæ periculum inſtaret, denegare illud poſſe. Divinæ ergo providentiæ ſe committant Paſtores Dei, illudque S. Auguſtini *tr.* CXXIII. in Ioannem præ oculis habeant: *Chriſti amor in eo qui paſcit oves eius, in tam magnum debet ſpiritualem creſcere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori nolumus.*

## CAPUT IV.

*De ſubiecto extremæ unctionis.*

I. QUæſt. I. *Quibus miniſtrandum eſt extremæ unctionis ſacramentum?* Reſp. Diſciplina apud Græcos obtinet adminiſtrandi cuilibet fideli pœnitenti, ſive ſano, ſive infirmo, ſacramentum iſtud; ut ex Euchologii eorumdem colligitur. Apud Latinos ſolis decumbentibus confertur; ut ex Eugenii IV. decreto pro Armenis, Concilio Tridentino, & omnibus Ritualibus conſtat. Diſputant Theologi, num unctio a Græcis, ſanis adhibita, habeatur pro ſacramento vero. Goarius contendit, illam fieri tamquam meram cæremoniam ſacram, ſeu ſacramentalem quamdam benedictionem, qua Sacerdotes ſublevare infirmos inunctos intendunt ab aliqua levi infirmitate, vel a graviori præſervare: quod olim etiam in Eccleſia Latina factitatum animadvertit BENEDICTUS XIV. *loc. cit. cap.* XX. *num.* 4. E contrario Arcudius defendit, Græcos ſanos, vegetoſque inungere animo verum conficiendi ſacramentum. Ut ut de hoc ſit, praxim quæ obtinet apud Græcos, numquam improbavit Eccleſia Latina.

II. Ritus tamen Eccleſiæ Latinæ prorſus conſonat tum divinis Scripturis: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros:* inquit S. Iacobus: tum traditioni perpetuæ, cuius initium deſignari nequit. Quare tametſi S. Iacobus ſanos non excludat expreſſe, & formaliter; traditio tamen non intercisa temporum ſerie ſemper textum S. Apoſtoli infirmis, ſanis excluſis, addixit. Diſciplina ergo Latinæ Eccleſiæ præferenda omnino eſt diſciplinæ Eccleſiæ Græcæ.

III. Quæſt. II. *Quibus infirmis conferendum hoc ſacramentum eſt?* Reſp. Lutherus *de captiv. Babylonica*, & Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* XIX. debacchantur in Catholicos, quod *ſemimortua cadavera*, inquit Calvinus, *ſua pinguedine inficiunt, cum iam iam animæ in primoribus labris laborat, vel, ut ipſi loquuntur, in extremis. Si præſentem habent medicinam in ſuo ſacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel ſaltem aliquod animæ ſolatium afferant, crudeles ſunt qui numquam in tempore medentur.* Similia eructat Lutherus.

IV. Sed eiuſmodi impudentiſſimas calumnias ipſa manifeſta praxis catholicæ Eccleſiæ penitus labefactat. Decumbentibus utique conferri hoc ſacramentum præcipit Eccleſia, at ſimul iubet ne ultima expectetur periodus. Eugenius IV. in laudato decreto. *Hoc ſacramentum niſi infirmo de cuius morte timetur, dari non debet.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* III. inquit: *Declaratur etiam, eſſe hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præſertim qui tam periculoſe decumbunt, ut in exitu vitæ conſtituti videantur.* Verum

ſimul

ſimul Concilia omnia improbant abuſum illum protrahendi illius ſacramenti adminiſtrationem ad ultimam lectæ periodum, quando æger deſtitutus pene ſenſibus eſt. Extrema cavenda ſunt. Sacramentum illud inſtitutum eſt ad roborandos infirmos in ultimo agone: idcirco, non cuilibet infirmo, de cujus vitæ periculo peritorum judicio non timetur, conferendum eſt; at neque in gravi infirmitate, quæ juxta peritos ultimum exitium minatur, ita differendum eſt, ut tum adminiſtretur cum ſemimortuus infirmus apparet, minuſque aptus ad ſe pro tanto ſacramento ſuſcipiendo præparandum.

V. Quæſt. III. *Omnibus ne infirmis periculoſe decumbentibus adminiſtranda eſt extrema unctio?* Reſp. Sententia negans vera eſt. Nam illis qui in ipſa flagitii actione ſenſibus deſtituuntur, exhibendum non eſt: ſi tamen pœnitendi ſpatium habuerint, antequam rationis uſum amitterent, ſacra unctio non eſt deneganda; etiamſi nullum pœnitentiæ ſignum dederint. Quamvis enim illis abſolutio impertiri non debeat juxta probabiliorem ſententiam, tamen hoc ſacramentum adminiſtrandum eſt, ut communiter utriuſque ſententiæ Theologi docent. Denegandum quoque eſt ſacramentum illud pueris, antequam rationis lumen illis affulgeat, & fatuis a nativitate qui nulla habuere lucida intervalla.

VI. Similiter ſacramentum illud nec navigantibus, nec belligerantibus cum vitæ periculo, nec ultimo ſupplicio afficiendis, nec mulieribus parturientibus adminiſtratur, quamvis dolorum vi ſint in periculo vitæ. Senibus vero morti propinquis, ſicut & periclitantibus ob morſum rabidum, adminiſtrandum eſt; dummodo abſit periculum irreverentiæ adverſus ſacramentum, ut præclare docet S. Thomas in Suppl. q. XXXII. artic. 3. *Dicendum, quod ad effectus hujus ſacramenti percipiendum plurimum valet devotio ſuſcipientis, & perſonale meritum conferentium, & generale totius Eccleſiæ. Quod patet ex hoc quod per modum deprecationis forma hujus ſacramenti profertur. Et ideo illis qui non poſſunt recognoſcere, & cum devotione ſuſcipere hoc ſacramentum, dari non debet, & præcipue furioſis, & amentibus; qui poſſent irreverentiam ſacramento per aliquam immunditiam facere: etſi haberent lucida intervalla, in quibus ſacramentum cognoſcerent; & ſic eis conferri in ſtatu illo poſſet.* Ex qua doctrina collige, quam ſit deteſtabilis abuſus illorum qui ad illam ultimam periodum protrahunt ſacramentum illud, in qua debita devotione ſe infirmus ad illud ſuſcipiendum præparare nequit.

VII. Quæſt. IV. *An iſtius ſacramenti ſuſceptio ſit ſub præcepto?* Reſp. Negantem ſententiam defendunt Suarez *diſp.* XLIV. *ſect.* 1. Henriquez *Lib. III. cap.* 10. Cabaſſutius *Theor. Lib. III. cap.* XI. & Probabiliſtæ communiter. P. Viva *quæſt.* VI. *art.* 3. *num.* 4. hanc opinionem communem vocat. Hæc ſententia mihi falſa eſt. Nam principio S. Jacobus inquit: *Inducat Presbyteros*. Hæc verba non conſilium, ſed præceptum indicant. Secundo omnia quæ ad ſacramentum hoc, vel miniſtros pertinent, ſunt in præcepto. Ex præcepto, & quidem graviſſimo, obſtringuntur Parochi hoc ſacramentum adminiſtrare graviter ægrotantibus: & ægroti immunes a præcepto illud ſuſcipiendi ſunt? Qua ratione graviter peccaret Parochus, omittens adminiſtrationem hujuſce ſacramenti, & contra caritatem, & contra juſtitiam, ſi tantum ex conſilio, ſecus ex præcepto, ſuſcipi a fidelibus deberet? Sacramentum Chriſtus inſtituit: & nullum eſt præceptum illud ſuſcipiendi tempore ullo? Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XIV. *cap.* III. improbat eos qui dixerint *hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec MANDATUM Dei, nec promiſſionem gratiæ* &c. Clarius ne ſacra Synodus exprimere divinum mandatum poterat? De mandato igitur divino non eſt ambigendum. Bonus Merbeſius Theologus graviſſimus *diſſ.* V. *quæſt.* IX refert ſequentem propoſitionem a ſacra Facultate Pariſienſi an. 1634. cenſura inuſtam.

*Omnes Theologi dicunt, confirmationem non præcipi, niſi cum commode haberi poteſt, vel, ut alii dicunt, quando commodiſſime, quando ſine ullo, vel minimo prorſus incommodo.*

Cenſura.

*Iſta propoſitio eſt ſcandaloſa, in maximum ſacramenti confirmationis contemptum, malignis animis propoſita, & in errorem poteſt deducere.*

VIII. Par eſt utriuſque ſacramenti & confirmationis, & extremæ unctionis ratio. Ergo æque proſcribi meretur opinio negans præceptum ſuſcipiendæ unctionis extremæ, ac opinio negans præceptum ſuſcipiendæ confirmationis. Quid? Eccleſia catholica ſacramenta habet otioſa, indifferentia, in caſſum inſtituta? Utique non adeſt præceptum expreſſum & peculiare ab Eccleſia latum, jubens hanc ſacramenti ſuſceptionem; ſed conſuetudo perpetua, conſtans, & univerſalis fidelium ſuſci-



ſuſcipiendi hoc ſacramentum vim legis obtinet. Quorſum tot Eccleſiæ ſtudia in aſſerendo adverſus Novatores hoc ſacramento, ſi nulla urgeret neceſſitas, nullumque præceptum ejuſdem uſus? An Eccleſia non vult a fidelibus obſervari divinum mandatum? Mandatum autem divinum tum ex S. Jacobo, tum ex Tridentino perſpicue patet. Hanc ſententiam defendunt Merbeſius, Gonnet, Tournely, Antoine, Ludovicus Habert, & alii graviores Theologi.

IX. Quæſt. V. *Iterari ne hoc ſacramentum poteſt?* Reſp. Negarunt plures ſæculo XII. ſed Synodus Tridentina *ſeſſ.* XIV. *cap.* III. iterari hoc ſacramentum poſſe declarat his verbis. *Si infirmi poſt ſuſceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus ſacramenti ſubſidio juvari poterunt, cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.* Nec in re aperta, & de qua diſſidium nullum inter Catholicos nunc eſt, diutius immorandum. Si infirmitas longa fuerit, & poſt inſtauratas aliquo modo vires relabatur ægrotus in mortalem infirmitatem, juxta prudens Parochi, ſeu Superioris conſilium iterari poterit, ut docet S. Thomas in Supplem. *quæſt.* XXXIII. *art.* 2. his verbis: *Dicendum, quod hoc ſacramentum non reſpicit tantum infirmitatem, ſed etiam infirmitatis ſtatum: quia non debet dari niſi infirmis qui ſecundum humanam æſtimationem videntur morti appropinquare. Quædam autem infirmitates non ſunt diuturnæ. Unde ſi in eis datur hoc ſacramentum, tunc quando homo ad ſtatum illum pervenit, quod ſit in periculo mortis, non recedit a ſtatu illo niſi infirmitate curata; & ita non debet iterum inungi. Sed ſi recidivum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio. Quædam vero ſunt ægritudines diuturnæ, ut hectica, hydropiſis, & hujuſmodi: & in talibus non debet fieri unctio, niſi quando videntur perducere ad periculum mortis: & ſi homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad ſimilem ſtatum per illam ægritudinem reducatur, iterum poteſt inungi: quia jam quaſi eſt alius infirmitatis ſtatus, quamvis non ſit alia infirmitas ſimpliciter.*

X. Quæſt. VI. *Qui ordo ſervandus in hujus ſacramenti adminiſtratione eſt?* Reſp. Extrema unctio conſummatio & perfectio pœnitentiæ appellari communiter ſolet: ideo poſt omnia ſacramenta adminiſtratur. Alicubi diſciplina obtinuit ante viaticum inungendi ægrotos. Quæ diſciplina, inquit Natalis ab Alexandro, etiam nunc obtinet apud Ciſtercienſes. Nihilominus, ubi mos ille non obtinet, ſervanda omnino eſt diſciplina univerſalis Eccleſiæ, approbata a Tridentino, ejuſque Catechiſmo.

## CAPUT V.

*De diſpoſitionibus ad hoc ſacramentum requiſitis, deque ejuſdem effectibus.*

I. Diſpoſitiones quæ præcedere hoc ſacramentum debent, aliæ ſunt remotæ, aliæ proximæ. Remotæ ſunt 1. ut ungendus ſit baptizatus. 2. ut periculoſe decumbat. 3. ut ſit adultus rationis uſu præditus. 4. ut nulla excommunicatione ſit innodatus. Proximæ diſpoſitiones ſunt. 1. ut nemo ſibi peccati mortalis conſcius audeat hoc ſacramentum ſuſcipere, quin prius contritus, & confeſſus, cum poſſit, abſolutus ſit. 2. Ad hoc ſacramentum cum fructu ſuſcipiendum opus eſt ut cum magna fiducia & fide quiſque accedat. 3. Sancto oleo liniendi ſuam intentionem, ſuaſque preces conjungere cum intentione & precibus quibus utitur Eccleſia, debent; & dum unguntur, inquit Merbeſius, Sacerdotem Chriſti Domini perſonam repræſentantem, ut inſtar Samaritani evangelici ſua ipſorum corpora conſecrato oleo perfundentem, & ipſos divinæ unctionis plenitudine uberius perfundentem, venerabundi ſuſcipiant.

II. Tres numerantur iſtius ſacramenti effectus, quos deſcribit *ſeſſ.* XIV. *cap.* II. Concilium Tridentinum. *Hujus ſacramenti res eſt gratia Spiritus ſancti: cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus ſublevatus, & morbi incommoda, & labores levius fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidianti, facilius reſiſtit, & ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.* Primus igitur effectus eſt gratia ſanctificans omnibus ſacramentis communis. Huic vero gratiæ adnexa ſunt auxilia adverſus ultimos hoſtis dæmonis impetus: & hic proprie eſt primus effectus. 2. eſt peccati reliquias abſtergere. 3. infirmum alleviat, erigit, & ſanitatem, ſi expediat, reſtituit.

III. Peccati reliquias abſtergere hoc ſacramentum dicitur, quatenus infirmitates, & defectus, ex peccato originali, & actuali contractos, puta propenſionem ad malum, torporem ad bonum operandum, mœrorem, & gravedinem animam deprimentem expellit.

IV. Diſputant Theologi, utrum hoc ſa-

cra-

cramentum per ſe, an vero per accidens peccata dimittat? Alii per ſe & primario; alii tantum per accidens defendunt, peccata hoc ſacramentum expellere. Diſſidium illud, ad praxim, & ad bonum ſpirituale animæ quod attinet, nullius momenti eſt. Sententia adfirmans primario, & per ſe hoc ſacramentum peccata remittere, nititur verbis Jacobi: *Si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Item ex Tridentino: *Cujus unctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, abſtergit*. Verum hæc & alia, quæ adduci teſtimonia ſolent, ſolum evincunt peccata dimitti, ut primario & per ſe id præſtare non declarant. S. Thomas in Suppl. *quæſt.* XXX. *art.* I. inquit: *Hoc ſacramentum non datur contra defectus quibus ſpiritualis vita tollitur, ſcilicet contra peccatum originale, vel mortale; ſed contra illos defectus, quibus homo ſpiritualiter infirmatur, ut non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ gratiæ, vel gloriæ; & hic defectus nihil aliud eſt quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali: & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum. Sed quia hoc robur gratia facit, quæ ſecum non compatitur peccatum, ideo ex conſequenti, ſi invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipſum; dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.*

V. Verum, miſſis ſcholaſticis quæſtionibus, excitanda eſt Paſtorum vigilantia & ſtudium, quo frequentius ſacramenti hujus dignitatem, neceſſitatem, & ſaluberrimos effectus populo explicent. Non pauci reperiuntur qui aut raro hunc gratiarum theſaurum reſerant plebi ſuæ. Ea ſocordia, ne dicam cæcitate, aliqui laborant, ut vereantur triſtia, & mortis ſententiam ominari ſuis parochianis, ſi iſtius ſancti olei beneficia, & ingentia commoda exponant. Reformidant ne animis concidant, & mœrori atque triſtitiæ ſe dedant, mortemque ad latus adſtare conſpiciant, ſi extremæ unctionis prærogativas, donorum copiam, & invictam fortitudinem, qua Chriſti milites illam ſuſcipientes in ultimo agone roborantur, patefaciant; ſi illos doceant, qua ratione, & devotione ſe ad tantum percipiendum remedium diſponere debeant. Hinc eſt quod populi ad ſolam illius *olei ſancti* vocem, veluti ad acerbum, atque fatale nuntium, trementes perhorreſcunt. Videbis multos Chriſtianos frequentes ad confeſſionalia, ut Sacerdotibus peccata manifeſtent, ad altaria, ut Euchariſtiam accipiant: ſe ad ſacramentorum frequentiam ſingulari devotione affectos declarant; & triſtantur, ſi raro iis facultas communicandi impertiatur. Quot vero ſunt ex decumbentibus qui hilari & inflammato animo divinum extremæ unctionis remedium expetant, efflagitent, implorent? Pauciſſimi. Ægrotorum religioſiores pientioreſque habentur qui ſe indifferentes, qui ad arbitrium Parochi, & ſuperioris ſe ſe accommodant, & animo patienti ferant divinam ſibi applicari curationem. Unde hæc indolentia? Unde tantus erga alia ſacramenta, dum ſani erant, apparens fervor, & tanta erga illud ad ultimam victoriam opportunum ſacramentum indifferentia? Non ſane aliunde, niſi ex Parochorum negligentia atque ſocordia. Si enim illi plebem inſtruerent, ſi uberrimos illius ſacramenti fructus, ſi neceſſitatem ſe ſe armandi contra truculentiſſimum hoſtem, qui in illa extrema lucta totas ſuas exerit vires, inſidiaſque, frequenter inculcarent: fideles ipſi peterent ſe muniri atque roborari illius divinæ unctionis efficaciſſimo remedio, atque invicta armatura ad reſiſtendum immani beſtiæ. Vigilantiores itaque Parochi ſint, & ferventiores in accendenda populorum devotione erga hoc ſacramentum: dedoceant illos præjudicia, & ſpectra illa perniciosiſſima, quibus mortem ſibi inferri imaginantur, dum hoc ſibi applicari cæleſte remedium ſentiunt.

# DISSERTATIO II.

## DE SACRAMENTO ORDINIS.

### CAPUT I.

*Ordo eſt verum novæ legis ſacramentum.*

I. PRincipio ordinis acceptiones variæ declarandæ. Plura Latini hac *Ordinis* voce explicant, ut partium diſpoſitionem: varios hominum ſtatus, ſenatoriam, plebeium, eccleſiaſticum, ordines appellant. Similiter diverſi Monachorum, Monialium, Clauſtralium Cœtus & Inſtituta Ordines



nuncupantur. Ordo, de quo in præſentia, eſt ritus ſacer quo perſonæ eccleſiaſticæ conſecrantur. Hic Ordo non eſt ſtatus, ut eſt ſacerdotalis, ſed eſt actio tranſiens, quæ in ipſa conſecratione perſonæ ſita eſt, unde ſtatus ſacerdotalis permanens conſequitur.

II. Quæſt. I. *Quid ſit Ordo ſacer, quo conſecrantur perſonæ eccleſiaſticæ?* Reſp. Communiter definitur, quod ſit ſacramentum novæ legis, quo poteſtas ſpiritualis traditur ad ſacroſanctum Chriſti corpus conſecrandum, & ad alia miniſteria eccleſiaſtica rite, & ex officio obeunda. *Sacramentum* vices generis tenet. *Poteſtas ſpiritualis* &c. differentiam exprimit, qua Ordo a ceteris ſacramentis diſtinguitur. Hæc autem poteſtas duplex eſt. Prima corpus Chriſti reale, ſeu ſacrificium ſpectat; vocaturque *poteſtas Ordinis*. Altera reſpicit corpus Chriſti myſticum dirigendum, imbuendumque, ſeu fideles; & appellatur *poteſtas juriſdictionis*, qua confertur jus docendi & dirigendi fideles ad regnum æternum.

III. Quæſt. II. *Sacra Ordinatio eſt ne verum novæ legis ſacramentum?* Reſp. Pernegant Novatores, Lutherus *Lib. de Captivitate Babylonica*, Calvinus *Lib. IV. Inſtit. cap.* XIX. Kemnitius *in II. Part. Exam. Concil. Trident.* & ceteri omnes. Contra Catholici omnes de fide eſſe docent, hanc ſacram Ordinationem vere & proprie eſſe ſacramentum: idque omni argumentorum genere evincunt. Nam ad ſacramentum, ut vel ipſi Lutherani, & Calviniſtæ fatentur, tria ſunt neceſſaria: 1. ſymbolum externum, ſeu ritus ſenſibilis: 2. promiſſio gratiæ: 3. inſtitutio divina. Hæc tria in ſacra Ordinatione habentur. Ergo eſt verum ſacramentum.

IV. *Symbolum*, ſeu externus ritus in manuum impoſitione, & oratione ſenſibili apparet, ut *Act.* VI. habetur. *Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*. Rurſus in Ordinatione Pauli, & Barnabæ *ibidem cap.* XIII. dicitur: *Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus, dimiſerunt illos*. Nec eſt quod Lutherani Calvinianique opponant, impoſitionem manuum eſſe ritum quemdam externum, quem Apoſtoli frequentiſſime uſurpabant vel in ipſa morborum curatione: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*: Marc. XVI. Quoniam concedimus & nos, non quamlibet manuum impoſitionem ab Apoſtolis, & Chriſto adhibitam, eſſe ritum ſacramentalem; ſed illam dicimus manuum impoſitionem eſſe verum ſacramentum quæ in miniſtris ordinandis uſurpata fuit, quæque ab ipſa oratione diſtincta eſt, ut habetur I. ad Timoth. V. *Nemini cito manus impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Hæc manuum impoſitio accipi pro oratione, & communi ceremonia nequit. Numquid alienis peccatis communicat qui orat pro alio licet indigno?

V. Patrum traditione catholicum dogma confirmatur. S. Ambroſius *Lib. de dignit. Sacerd. cap.* V. inquit: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dexteram; Deus benedicit potenti dextera*. Innocentius I. contra hæreticos poteſtatem ſibi uſurpantes ordinandi miniſtros *epiſ.* XVIII. hæc ſcribit. *Nec dare ejus* (Spiritus ſancti) *plenitudinem poſſunt, quæ maxime in ordinationibus operatur, quam, per impietatis ſuæ perfidiam potius, quam per fidem, dixerim, perdiderunt*. S. Auguſt. *Lib. II. contra epiſ. Parmen. cap.* XIII. ſic Donatiſtas urget. *Explicent, quomodo ſacramentum baptizati non poſſit amitti: ſi enim utrumque ſacramentum eſt, QUOD NEMO DUBITAT, cur iſtud non amittitur, & illud amittitur? Neutri ſacramento injuria facienda eſt*. Quid ad hæc Lutherani, & Calviniani? S. Leo *epiſ.* XI. *cap.* I. ubi præſcribit modum ſuſcipiendi ſacram Ordinationem a jejunis, declarat ex apoſtolica traditione hanc proficiſci; *ut intelligamus*, inquit, *quanta & dantium, & accipientium devotione curandum ſit ne tantæ benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum*.

VI. Tandem Concilium Trident. *ſeſſ.* XXIII. *cap.* III. definit. *Cum Scripturæ teſtimonio, apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per ſacram Ordinationem, quæ verbis & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere & proprie unum ex ſeptem ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis*. Et *can.* III. Novatorum errorem profligat. *Si quis dixerit, Ordinem, ſive ſacram Ordinationem non eſſe vere & proprie ſacramentum a Chriſto domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantum ritum quemdam eligendi miniſtros verbi Dei, & ſacramentorum; anathema ſit*.

CA-

# CAPUT II.

*De Ordinis diviſione, & cuiuſque Ordinis munere.*

I. QUæſt. I. *An ſint plures ſacri Ordines?* Reſpond. Concilium Tridentin. *ſeſſ.* III. *cap.* XXI. hæc habet: *Cum autem divina res ſit tam ſancti Sacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius, & maiori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſtrorum ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent.* Deinde *can.* III. hæc ſubdit: *Si quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia catholica alios Ordines, & maiores, & minores, per quos, veluti per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur: anathema ſit.* De fide itaque eſt plures eſſe ſacros Ordines.

II. Quæſt. II. *Quot ſunt Ordines?* Reſp. Septem numerantur, videlicet *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus.* Tres priores vocantur maiores & ſacri; alii quatuor minores. Hunc numerum recenſet Synodus Tridentina *ſeſſ.* XXII. *cap.* II. Quem ſeptenarium numerum ita probavit ſacra Synodus, ut non damnaverit diſciplinam Græcorum, qui quatuor tantum Ordines retinent.

III. Quæſt. III. *Tonſura, Cantoratus, & Epiſcopatus ſunt ne Ordines diſtincti?* Reſp. Communis eſt Theologorum ſententia, neque Tonſuram clericalem, neque Cantoratum eſſe Ordines. Tonſuræ nullam competit actio circa corpus Chriſti ſive reale, ſive myſticum; ſed quædam duntaxat præparatio eſt ad Ordines. Cantoratus quoque eſt merum officium. Celebris vero eſt controverſia inter Theologos, utrum Epiſcopatus ſit ſacramentum a Presbyteratu diſtinctum. Negat S. Thomas: cuius ſententiam pleno in lumine collocavit P. BERNARDUS DE RUBEIS, ſacræ eruditionis, ſolidioris criticeſ, profundioris ſaniorisque doctrinæ fama univerſæ Reipublicæ Litterariæ clariſſimus, qui inter cetera præclara opera quæ publici iuris fecit, omnia S. Thomæ opera, quæ nunc Venetiis eduntur, perdoctis *Admonitionibus præviis* illuſtrat. Porro *Admonitione prævia in Tom. XII.* §. 5. duo doceri a S. Thoma animadvertit. Primum, Epiſcopatum eſſe Ordinem, ſi pro eminentiore quodam officio accipiatur, a ſimplici Presbyteratu diſtinctum, ipſumque divina inſtitutione permanentem atque indelebilem: idque perſpicuis Angelici Doctoris teſtimoniis evincit. Secundo fatetur, S. Thomam negare Epiſcopatum eſſe Ordinem illum qui dicitur ſacramentum, & characterem imprimere a ſimplici Sacerdotio diſtinctum. Hanc eſſe genuinam S. Thomæ ſententiam luculentiſſimis Aquinatis teſtimoniis demonſtrat. Actum agerem, ſi huic controverſiæ a doctiſſimo viro penitus exhauſtæ, atque uberrima eruditionis & doctrinæ copia exornatæ, quidquam adiicerem. Id dumtaxat aſſero, ſententiam S. Thomæ mihi eſſe probabiliorem.

IV. Quæſt. IV. *Quid ſit Oſtiariatus, & quænam eius munia?* Reſp. Eſt ordo, quo Clericus præficitur ſacræ Eccleſiæ ſupellectili curandæ, Deique domui cuſtodiendæ. Quatuor Oſtiarii Clerici munia recenſet Catechiſmus *Part. II. de ſacr. Ord.* 1. Oſtiarius Eccleſiæ ianuas reſerare dignis, & indignis claudere debet, puta infidelibus, & excommunicatis. 2. Curare debet ne laici propius ad altare accedant. 3. Illius eſt pulſu campanæ fidelem populum convocare ad divina officia. 4. Servare vaſa ſacra, & univerſam Eccleſiæ ſupellectilem. Quintum munus addidit Concilium Mediolan. I. *tit. De Oſtiario*, nempe invigilare ſedulo ut omnes reverenter in Eccleſia ſe gerant. Munus iſtud hac præſertim ætate noſtra apprime neceſſarium eſt, cum diſſolutiones in templis invaleſcant. Impudentiſſimæ feminæ luxum theatralem ad Eccleſias deferunt, mendicantium murmura devotionem fidelium interturbant, canes profanant, & plura alia ſcandalum ingerunt.

V. Quæſt. V. *Quid ſit Lectoratus, & quænam eius munia?* Reſp. Lectoratus Ordo eſt quo confertur poteſtas legendi in Eccleſia Scripturam divinam, & SS. Patrum doctrinam. Quinque ſunt eiuſdem munia. 1. Publice legere utriuſque teſtamenti Scripturam ſanctam. 2. Erudire catechumenos, & rudes baptizatos, fidei articulos explicando. 3. Olim Lectoris munus erat eam divinæ ſcripturæ partem legere quam Epiſcopus interpretaturus erat. 4. Divinas decantare laudes, & pſallentibus præeſſe. 5. Priſcis temporibus Lectoris erat novos benedicere fructus.

VI. Quæſt. VI. *Quid ſit Exorciſtatus, & quænam illius officia?* Reſp. Eſt Ordo quo poteſtas impertitur expellendi dæmones a corporibus ſive catechumenorum, ſive baptizatorum. Et hoc eſt Exorciſtarum unicum munus, quod ipſis Concilia Laodicenum & Carthaginenſe IV. ac Pontificale Romanum tribuit, videlicet dæmones adiurare.

VII.



VII. Quæſt. VII. *Quid ſit Acolythatus, eiuſque officia?* Reſp. Eſt Ordo quo poteſtas traditur inſerviendi Subdiacono, & Diacono in Miſſæ ſacrificio. Acolythus quippe iuxta vim græcæ vocis eſt quaſi famulus & pediſſequus. Tria ſunt illius munia. 1. Parare vinum cum aqua in urceolis Subdiacono ab ipſo exhibendis. 2. Deferre lumina cum Evangelium ſolemni ritu a Diacono cantatur. 3. Luminaria Eccleſiæ accendere, & aſſervare; ideoque vulgato nomine *Ceroferarii* nuncupantur. Antiquitus Acolythi Epiſcoporum epiſtolas deferebant, & eulogias ad abſentes portabant.

VIII. Quæſt. VIII. *Quid ſit Subdiaconatus, & quæ eiuſdem munia?* Reſp. Eſt ſacer Ordo quo poteſtas traditur miniſtrandi Diacono, & Sacerdoti in ſacrificio Miſſæ. Subdiaconos *Hypodiaconos* Græci appellant. Diſputant Theologi, ſit ne Ordo iſte ſacramentum. Illi qui ſacramenti dignitatem abdicant a quatuor minoribus Ordinibus, negant Subdiaconatum eſſe ſacramentum. Concilium Trident. *ſeſſ.* XXII. *cap.* II. inquit: *Subdiaconatus ad maiores Ordines a Patribus, & ſacris Conc. refertur.* Contendunt recentiores plures uſque ad ſeculum XII. præter proper inter minores Ordines locatum fuiſſe, indeque evectum ad ſacros ſuperiores Ordines, quando a Romana Eccleſia ad alias Occidentis Eccleſias promanavit lex ut Subdiaconi caſtitatem ſolemni voto profiterentur. Verum de hac controverſia nihil ad nos. Subdiaconi munia quinque in Pontificali Romano recenſentur. 1. Calicem & patenam in uſum ſacrificii Diacono offert Subdiaconus. 2. Sacerdoti ſacrificanti aquam fundit ad digitorum extrema abluenda. 3. Oblationes a populo ſuſcipit. 4. Legit Epiſtolam, in quem finem librum accipit ab Epiſcopo. 5. Palias altaris, corporalia, & purificatoria abluit.

IX. Quæſt. IX. *Quid ſit Diaconatus, & quænam eiuſdem officia?* Reſp. Eſt ſacer Ordo, quo traditur ſpiritualis poteſtas inſerviendi proxime Sacerdoti ſacrificanti. Tria illi officia Pontificale Romanum adſcribit, miniſtrare ad altare, baptizare, prædicare. 1. Igitur Diaconi Epiſcopo, vel Presbytero ſacra agenti præſto adſunt: materiam ſacrificii panem & vinum exhibent, calicem conſecrandum cum ipſo offerunt. Evangelium ſolemniter ex altiori loco legunt. Indignos a dignis ſeparant hac terribili voce: *Recedant pœnitentes: ſancta ſanctis:* quæ vox, inquit Chryſoſtomus, quamdam iudicii extremi imaginem præfert. Præſunt adſtantium precibus: monent, quando flectenda genua, quando levanda. Iuxta veterem Eccleſiæ ritum calicem ſanguinis Domini adſtantibus diſpenſabant. 2. Diaconus ex officio baptizat, non quidem ſolemniter, niſi ut extraordinarius miniſter. 3. Diaconi ſunt verbi Dei miniſtri vi ſuæ Ordinationis, ſi prædicatio fiat per modum catecheſeos, & abſque illo apparatu qui illis competit qui ex cathedra ad populum concionantur. *Evangeliſtæ Diaconi ſunt*, inquit Auctor *lib. eccl. Dogmatum* inter opera S. Auguſtini. Et S. Ambroſius in cap. IV. epiſ. ad Epheſ. *Quamvis non ſint Sacerdotes, evangelizare tamen poſſunt ſine cathedra.*

X. Quæſt. X. *Quid erant Diaconiſſæ, quarum Scriptores eccleſiaſtici meminerunt?* Reſp. Diaconiſſarum duplex ſpecies. Aliæ erant uxores, quas Diaconi ante inaugurationem ſuam duxerant: hac ratione uxor Epiſcopi dicebatur Epiſcopa, Presbyteri Presbytera, Diaconi Diaconiſſa, Subdiaconi Subdiaconiſſa. Concilium Turon. II. *can.* XX. inquit: *Si inventus fuerit Presbyter cum ſua Presbytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſſa, annum integrum excommunicatus habeatur.* Ambo apud Latinos perpetuam continentiam profiteri aſtringebantur. Aliæ Diaconiſſæ mulieres erant, ſive viduæ, ſive virgines, Deo dicatæ ad aliquod Eccleſiæ miniſterium. Diaconiſſarum conſuetudo ab ipſis Apoſtolis in Eccleſia univerſali ſive Græca, ſive Latina obtinuit; quarum meminit Apoſtolus ad Rom. XVI. *Commendo autem vobis Phœben ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ quæ eſt in Cenchris.* Diaconiſſæ 1. erant oſtiariæ mulierum, quæ tum a viris in templis ſeparatæ erant. 2. Mulieres baptizandas exuebant, & induebant. 3. Mulieres ruſticanas imbuebant. Diaconiſſarum ſtatus ſacer Ordo non erat. Senſim ſine ſenſu Diaconiſſæ obſolevere.

XI. Quæſt. XI. *Quid ſit Presbyteratus, & quænam illius officia?* Reſp. Græce Presbyter idem eſt ac latine ſenior. In Republica Magiſtratus & Præfecti *Seniores* vocari ſolent. Presbyteratus autem ſacer Ordo eſt, quo datur poteſtas conſecrandi corpus Chriſti, & remittendi peccata. Quinque in Pontificali Romano eiuſdem officia numerantur: *offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, baptizare.* 1. Primarium officium eſt offerre: ſacerdotium quippe & ſacrificium indiviſa ſunt. *Omnis enim Pontifex* (inquit Paulus Heb. VIII.) *ad offerendum munera,*

*nere, & beſtias conſtituitur.* 2. Presbyteri eſt benedicere perſonas, & quæ ad earum uſum attinent. 3. Presbyteri ſub manu Epiſcopi præſunt populo. 4. Iiſdem prædicationis munus incumbit. Nam Presbyteri præſunt populis: eos ergo paſcant oportet. Porro *non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Parochi qui in paſcendo grege hoc divino alimento ſocordes ſunt, graviter in proprium miniſterium peccant. 5. Presbyterorum eſt baptizare iure illis ordinario.

XII. Quæſt. XII. *Quid ſit Epiſcopatus, & quæ illius munera?* Reſp. Epiſcopi nomen latine ſuperintendens, ſeu ſpeculator eſt. *Vult Pompeius*, inquit Cicero Lib. VII. epiſt. ad Atticum, *me eſſe quem tota hæc Campania, & maritima ora habeat Epiſcopum, ad quem delectus, & rerum ſumma referatur.* S. Ioannes Chryſoſtomus, & alii permulti docent, tempore Apoſtolorum Epiſcopi nomen fuiſſe commune Sacerdotibus primi & ſecundi ordinis. Uſus tamen obtinuit ut ſoli maiores Sacerdotes *Epiſcopi* appellarentur; & *Antiſtites*, qui ante alios Clericos ſtant, iiſque præſident; & *Pontifices*, qui præ aliis multa peragere valent. Epiſcopatus autem eſt Ordo ſupremus, quo datur Presbytero poteſtas conferendi ſacramenta Confirmationis, & Ordinis, regendique Eccleſiam ipſi commiſſam, nempe Clerum, & plebem. Dicitur Ordo, quia, ut ex S. Thoma indicavi, eſt apex & faſtigium Sacerdotii. Ordo iſte confertur Presbytero: quia nequit eſſe Epiſcopus, niſi prius fuerit Presbyter. Poteſtas conferendi ſacramenta Confirmationis, & Ordinis competit ſoli Epiſcopo: in quo duplex relucet poteſtas, ordinis, & iuriſdictionis, quæ tum complementum accipit, cum Eccleſiæ regendæ præficitur.

XIII. Quæſt. XIII. *Sunt ne ſinguli Ordines ſacramenta?* Reſp. De fide eſt Presbyteratum eſſe ſacramentum, ut definivit Tridentinum *ſeſſ.* XXII. *can.* I. his verbis. *Si quis dixerit non eſſe in novo teſtamento Sacerdotium viſibile & externum: vel non eſſe poteſtatem aliquam conſecrandi, & offerendi verum corpus, & ſanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi . . . . . anathema ſit.* Diaconatum quoque eſſe ſacramentum affirmant omnes: nam Diaconatus confertur per manuum impoſitionem, quæ eſt ſignum ſenſibile: quod ſignum divinitus inſtitutum eſt, eique gratia annectitur, quam ſignificant illa verba: *Accipe Spiritum ſanctum ad robur.* Nihil ergo ipſi deeſt ad veram ſacramenti rationem.

XIV. Subdiaconatum, & minores Ordines permulti hodie Theologi, ut iam dixi, pernegant eſſe ſacramenta; nec ſpernenda argumenta opponunt. Verum mea nunc non intereſt talem diſpicere controverſiam. Quamvis autem ſinguli Ordines tum maiores & ſacri, tum minores eſſent ſacramenta; unum tamen eſt ſacramentum Ordinis: quia omnes ordinantur ad unum Sacerdotium, quo conſecratur corpus, & ſanguis Chriſti.

XV. Quæſt. XIV. *Qui ſuſcipit ſacros Ordines in peccato mortali, peccat ne mortaliter?* Reſp. Affirmant vel ipſi Probabiliſtæ omnes, qui defendunt, etiam minores Ordines eſſe ſacramentum. Porro ſuſcipere ſacramentum in peccato mortali gravis profanatio eſt ſacramenti. Verum etiamſi minores Ordines non eſſent ſacramentum, non ideo immunis a gravi malitia eſſet qui illos conſcientia mortifero ſcelere inquinata ſuſciperet.

XVI. Quæſt. XV. *An exercere Diaconatum, Subdiaconatum, & minores Ordines in peccato mortali ſit mortale?* Reſp. P. Viva *quæſt.* VII. *art.* I. *numer.* 8. refert Suarez, Vaſquez, Conink, & alios plures, negantes, Diaconum, & Subdiaconum peccare mortaliter, mortali culpa inquinatos exercentes proprium officium. Hæc ſententia mihi falſa eſt, & ita ſentiunt graviores Theologi, Caietanus, Toletus, & alii plures, a quibus recenſendis abſtineo, quoniam ratio manifeſta eſt. Nam iſti miniſterium ſacramentale exercent. Ergo graviter peccant, dum conſcientia ſordida illud profanant. Maior difficultas eſt de exercitio minorum Ordinum. Communiter Probabiliſtæ negant, exercitium horum Ordinum in peccato mortali gravi malitia infici. Ecur non? Quia, inquiunt, Ordines iſti remote diſtant a Sacerdotio. Quid inde? Sunt tamen iuxta illos ſacramentum. Cur autem exercere ſacramentale officium ſolemni ritu in Eccleſia non eſt gravis profanatio eiuſdem ſacramentalis Ordinis? A nemine vidi ſolidam productam rationem quæ id evincat, quod iſti contendunt. Verum de hoc infra ſermo recurret, dum de diſpoſitionibus ad Ordines ſuſcipiendos ſermo erit.





## CAPUT III.

*De materia & forma ſacramenti Ordinis.*

I. IN celebri Armenorum decreto Eugenius IV. de materia & forma ſacrarum Ordinationum hæc decernit. *Sextum ſacramentum eſt Ordinis, cuius materia eſt illud per cuius traditionem confertur Ordo. Sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Forma Sacerdotii talis eſt:* Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti: *& ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur.* Hac auctoritate nixi plurimi Theologi defendunt, materiam eſſentialem ſacramenti Ordinis in porrectione inſtrumentorum ſitam eſſe: & in oratione quæ in horum inſtrumentorum porrectione recitatur, formam.

II. Verum magnum faceſſit negotium in hac controverſia quod Eccleſia Græca ſola manuum impoſitione, & oratione conferat ſacras Ordinationes, nullis inſtrumentis adhibitis, niſi poſt Ordinationem completam. Quid quod neque Eccleſia Latina longo ſæculorum intervallo in ſacris Ordinationibus perficiendis præfata adhibuit inſtrumenta? Unde hoc? Variata ne eſt in Eccleſia Latina ſacramentorum materia eſſentialis? Hæc graviſſima difficultas in diverſa placita Theologos diviſit.

III. Alii defendunt, impoſitionem manuum ſemper fuiſſe materiam eſſentialem, & orationem annexam, formam; inſtrumentorum vero porrectionem cum verbis eidem adiectis eſſe materiam & formam acceſſoriam, & accidentalem, ſeu integralem, ad maiorem effectus ſacramentalis expreſſionem & declarationem: de qua tantum locutum eſſe Eugenium IV. in laudato decreto contendunt. Addunt vero, ut veterem ritum cum novo concilient, in impoſitione manus, qua antiqui utebantur, implicite ac virtute contentam fuiſſe inſtrumentorum porrectionem; quia manus eſt organum organorum. Alii Theologi nec aliam materiam ſacrarum Ordinationum, niſi inſtrumentorum porrectionem, nec aliam formam, præter orationem huic porrectioni adiunctam agnoſcunt. Horum aliqui dicunt, hæc inſtrumenta ſemper adhibita fuiſſe implicite, & virtute incluſa in impoſitione manus. Alii denique contendunt tam impoſitionem manuum, quam inſtrumentorum porrectionem eſſe materiam eſſentialem.

IV. Inter ſententias iſtas oppoſitas, ea mihi eſt probabilior quæ docet manuum impoſitionem eſſe materiam eſſentialem, & orationem eidem adiunctam eſſe formam. Quandoquidem ſemper, ut patet ex Scripturis divinis ſupra adductis, impoſitio manuum obtinuit in Eccleſia. Neque adverſus hæreticos evincere ſacram Ordinationem eſſe verum novæ legis ſacramentum poſſumus, niſi adducendo ritum externum impoſitionis manuum. Hi ſoli ſunt textus quibus demonſtramus Ordinem eſſe verum novæ legis ſacramentum. Quod non ſint alii textus in Scripturis ſanctis præter iſtos de manuum impoſitione, qui habentur & Act. VI. *Hos ſtatuerunt* &c. & cap. XIII. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus* &c. & I. ad Timoth. V. *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum Presbyterii*: res evidens eſt.

V. Accedit perpetuus uſus univerſalis Eccleſiæ in ordinandis ſacris miniſtris per manuum impoſitionem, & orationem. Præter inſtitutum meum agerem, ſi omnia cuiuſcumque ſæculi & Conciliorum, & Patrum teſtimonia referre vellem, quæ hunc uſum evincunt. Id præſtitere innumeri Theologi: idcirco ab iis referendis ſuperſedeo.

VI. Inſtrumentorum porrectio cum verbis eidem adiunctis adhibetur, & prorſus adhibenda eſt, ut pars integralis, non eſſentialis ſacramenti Ordinis. Et primum, quod hæc porrectio inſtrumentorum omnino adhibenda ſit, nemo inficiatur. Ea enim Eccleſia Latina a ſeptingentis & amplius annis utitur. Prima huius uſus apud Latinos origo obſcura eſt, & vix deſignari valet, ut communiter eruditi Theologi fatentur. Quod autem hæc inſtrumentorum porrectio non ſit materia eſſentialis, ſed adventitia & integralis ad pleniorem traditæ poteſtatis declarationem, patet. Siquidem ea materia non eſt huic ſacramento eſſentialis quam nec Scripturæ ſanctæ aſſignant, nec ipſa Eccleſia Latina per decem priora ſæcula adhibuit, & qua etiamnum Eccleſia Græca caret; cuius tamen Ordinationes ratas habet Eccleſia Latina.

VII. Sententia quæ ſuſtinet Chriſtum Dominum non determinaſſe aliquorum ſacramentorum materiam, & formam, ſed id

Eccleſiæ arbitrio reliquiſſe, expedita eſt, cujus ſupra meminimus. Verum & Scripturæ ſanctæ, & uſus perpetuus Eccleſiæ univerſalis *manuum impoſitionem* aſſignant ut materiam hujus ſacramenti.

VIII Ceterum ea omnia in praxi adamuſſim ſervanda ſunt quæ Eccleſiæ ritus præſcribit: quoniam Eccleſiam dirigi a Spiritu ſancto in fidelium regimine, & in ſacramentis definiendis perficiendiſque certum eſt.

IX. Quæ hactenus dicta ſunt, comprehendunt potiſſimum Ordines ſacros, quos vocant hierarchicos, nempe Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum: quorum materiæ eſſentiali adjuncta ſunt inſtrumenta, puta Diaconatui liber Evangeliorum, Presbyteratui unctio, & porrectio calicis & patenæ cum ſacris ſymbolis conſecrandis. Aliorum vero Ordinum, Subdiaconatus, & quatuor minorum, materia, & forma ſunt inſtrumenta cum precibus quas recitat Epiſcopus illa tradendo. Porro qui defendunt hæc eſſe ſacramentum, dicunt in ipſa porrectione inſtrumentorum, manuum impoſitionem intelligi. Sic materia Oſtiarii eſt traditio clavium & tintinnabuli; forma: *Sic agite, quaſi rationem reddituri* &c. Materia Lectoratus eſt libri ſacræ Scripturæ traditio; forma: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores.* Exorciſtatus materia eſt traditio libri exorciſmorum, ſeu Pontificalis; forma: *Accipite, & commendate memoriæ* &c. Acolythatus materia eſt traditio candelabri cum cereo extincto; forma vero: *Accipe ceroferarium cum cereo* &c. Traduntur etiam urceoli vacui ab Epiſcopo Acolythis ſub hac verborum prolatione: *Accipite Urceolum* &c. Partialis materia Subdiaconatus eſt traditio calicis vacui, & patenæ ſuperpoſitæ; forma: *Videte, cujuſmodi miniſterium vobis traditur* &c. Materia Diaconatus eſt impoſitio manuum cum traditione codicis Evangeliorum. Materia Presbyteratus eſt impoſitio manuum cum traditione calicis & patenæ, adjectis ſacris ſymbolis conſecrandis. Ut dictum eſt, in ordinibus hierarchicis, nempe Diaconatu, Presbyteratu, & Epiſcopatu, impoſitio manus expreſſa eſt, & ſemper in Eccleſia uſurpata: in ceteris Ordinibus plus & minus intervenit manuum impoſitio ſaltem implicite, ut aiunt qui iſtos Ordines eſſe verum ſacramentum defendunt.

X. Diſputant Theologi, utrum neceſſe ſit tangere ſingulas materiæ partes, puta calicem, patenam &c. & an iſte contactus debeat eſſe phyſicus, vel ſufficiat moralis. Quo ad primam quæſtionis partem plures contendunt, ſat eſſe tangere aliquam materiæ partem, ut ſolum calicem, aut patenam &c. Quo ad ſecundam communior & vera ſententia docet, tangendum eſſe phyſice & immediate tum calicem, tum patenam &c. Et hæc ſententia, utpote tutior, amplectenda eſt. Quare ad vitandas in hac controverſia omnes anxietates, & diſſidia, ea omnia, ſicuti modo dixi, exacte in praxi ſervanda ſunt quæ Eccleſiæ ritus ſervanda præſcribit.

## CAPUT IV.

*De miniſtro ſacramenti Ordinis.*

I. QUæſt. I. *An ſolus Epiſcopus ſit hujus ſacramenti miniſter?* Reſp. de fide eſt, ſolum Epiſcopum eſſe hujus ſacramenti miniſtrum, ut definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *can.* VII. adverſus Novatores. *Si quis dixerit, Epiſcopos... non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam quam habent, eſſe illis cum Presbyteris communem..... Anathema ſit.* Hoc definivit Concilium, quia conſtat ex divina Scriptura, quæ ſolis Apoſtolis jus ordinandi tribuit, ut habetur *Act.* VI. & XIII. & *II. ad Timoth. c.* I. & *I. ad eundem c.* III. Epiſcopi autem ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Accedit conſtans & univerſalis ab Apoſtolis ad hæc uſque tempora Eccleſiæ traditio.

II. Quæſt. II. *Simplex Sacerdos poteſt ne inſtitui extraordinarius miniſter ſacræ Ordinationis?* Reſp. Inferiores Ordines poſſe ex privilegio conferri a ſimplici Sacerdote, patet ex facto. Nam pluribus Abbatibus conceſſa eſt facultas adminiſtrandi Tonſuram, & minores Ordines. Ceterum Ordines majores, Diaconatum Presbyteratum, Epiſcopatum, neque privilegio poſſe conferri a ſimplici Sacerdote, docent omnes. Quoniam ex Scriptura, & traditione habemus, ſolos Epiſcopos eſſe horum Ordinum miniſtros; neque hactenus conceſſam ſimplici Presbytero fuit conferendi ſacros Ordines facultas. Nec eſt quod opponas, in Concilio Nicæno I. indultum fuiſſe Presbyteris a Meletio conſecratis, ut Eccleſiæ miniſtros conſecrarent: quoniam diſtinguenda eſt præordinatio a conſecratione. Juxta morem illorum temporum Clerici probabant fideles in Sacerdotium conſecrandos, & probatos ad Epiſcopos mittebant, ut conſecrarentur. Clerici





ergo ſolum ſuffragium dabant de dignitate, & probatione conſecrandorum ab Epiſcopo.

III. Dices. Innocentium VIII. an. 1489. conceſſiſſe Abati Ciſtercienſi facultatem conferendi Diaconatum, & Subdiaconatum Monachis ſui Ordinis. Bullam hanc ſe vidiſſe teſtatur Vaſquez *diſp.* CCXLIII. *in III. Part. S. Thomæ* in Collegio Complutenſi, & Navarrus *Lib. V. conſil.* XIII. aſſerit, Ciſtercienſes Abbates ante Concilium Tridentinum ſemper fuiſſe hoc privilegio uſos. Sylvius in *Suppl. quæſt.* XXXVIII. *art.* I. Hallerus *ſer.* V. *cap.* 2. contendunt hoc privilegium ſuppoſititium ac fictitium eſſe. Victoria in *Summa num.* 235. ſcribit, ſe Bullam vidiſſe, ſed nihil in ea de Diaconatu reperiri. Utcumque res ſe habeat, verum ne an fictum ſit privilegium illud, ſacra Congregatio Concilii Tridentini anno 1592. declaravit, eam fuiſſe Innocentii VIII. mentem dumtaxat, ut Abbates Ciſtercienſes cuilibet Epiſcopo catholico facultatem dare poſſent ordinandi Monachos ſibi ſubditos.

IV. Quæſt. III. *Quot ad conſecrandum Epiſcopum requiruntur Epiſcopi?* Reſp. Neceſſitate præcepti requiruntur tres, aut duo, ut conſtat ex Eccleſiæ praxi. Diſputatur a Theologis, utrum id requiratur non modo neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate ſacramenti; ita ut nullum ſit ſacramentum, niſi duo ſaltem Epiſcopi adſint. Affirmant Cajetanus, Bellarminus, & alii. Plures alii negant, defendentes validam eſſe Ordinationem Epiſcopi ab uno Epiſcopo factam, quamvis illicitam. Quoniam inquiunt, modus disjunctivus, quo utuntur veteres canones, *a duobus aut tribus Epiſcopis*, majorem prefert dignitatem, non neceſſitatem. Ex communi tamen & univerſali traditione ſemper Epiſcopi ordinati fuere a tribus vel duobus Epiſcopis: & plures canones irritam declarant Ordinationem aliter factam. Et hoc pro praxi ſatis eſt.

V. Quæſt. IV. *A quo Epiſcopo ordinari Clerici debent?* Reſp. A proprio: omnes enim Epiſcopi valide ordinare valent, ſed licite ſolus proprius, ut Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXXIII. *cap.* VIII. ſtatuit. *Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinetur ... Si ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.*

VI. Quæſt. V. *Quis eſt cenſendus Epiſcopus proprius?* Reſp. Epiſcopus proprius eſt vel originis, vel beneficii, vel domicilii, ut



Bonifacius VIII. declaravit c. *Cum nullus*, inquiens: *Superior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus de cujus diœceſi is eſt qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus; ſeu in cujus diœceſi beneficium obtinet; ſeu habeat domicilium in eadem.* Epiſcopus originis eſt in cujus diœceſi quis baptizatus eſt. Epiſcopus beneficii ille dicitur in cujus diœceſi aliquis beneficium poſſidet, ſive pingue ſit, ſive tenue, ſive reſidentiam habeat, ſive non. Sat tamen non eſt ut ſit nominatus & inſtitutus; ſed poſſideat illud oportet. Cavenda vero fraus eſt. Si enim Epiſcopus extrahat aliquem ex aliena diœceſi, eique beneficium conferat animo ſibi eumdem addicendi; vel ipſe Clericus, ut proprii Epiſcopi examen declinet, beneficium in aliena diœceſi procuret, tam Ordinans, quam Ordinatus incurrunt pœnas a jure latas. Plura hac de re emanarunt decreta & Congregationis Concilii Tridentini, & ſummorum Pontificum. Celebre eſt decretum Innocentii XII. datum Romæ an. 1694. cujus initium eſt: *Speculatores Domus Iſrael* &c. quod hic tranſcribere omitto brevitatis gratia.

VII. Epiſcopus domicilii is eſt in cujus diœceſi quis ſedem fixit animo ibidem commorandi in perpetuum. Diſtinguunt auctores domicilium ad matrimonium alicubi contrahendum, & alia ſacramenta recipienda, a domicilio ad Ordines ſuſcipiendos. Ad matrimonium contrahendum ſat eſt ut quis per annum bona fide negotiorum cauſſa commoretur in aliqua parochia, ut contrahere ibidem coram illo Parocho matrimonium poſſit, licet poſtea ſit diceſſurus. Ad clericalem vero Tonſuram, ſacroſque Ordines ſuſcipiendos ne decennium quidem ſufficit, niſi animus adſit perpetuo commorandi, ut ex citato Innoc. XII. decr. colligitur. Ratio eſt quia quiſque addicitur per Ordinationem Eccleſiæ illius loci in quo ordinatur. Canones autem ſevere vetant ne Clericus abſque Epiſcopi conſenſu a quo inauguratus eſt, in alteram tranſeat diœceſim.

VIII. Quæſt. VI. *Epiſcopus ordinare ne poteſt familiarem ſuum ſibi non ſubditum?* Reſp. Poteſt, dummodo per triennium apud eumdem commoratus ſit, eique beneficium conferat, ut Tridentinum declaravit *ſeſſ.* XXIV. *cap.* X. inquiens: *Epiſcopus familiarem ſuum non ſubditum ordinare non poſſit, niſi per triennium ſecum fuerit commoratus, & beneficium, quacumque fraude ceſſante, ſtatim reipſa illi conferat.* Fraus contingeret, ſi Epiſcopus intentione eximendi Ordinatum

a diſciplina proprii Epiſcopi, ipſi beneficium conferret: quo in caſu ambo in pœnas a canonibus latas inciderent.

IX. Quæſt. VII. *Poteſt ne Epiſcopus in aliena diœceſi ſuum ſubditum ordinare?* Reſ. Negant omnes, quia Ordinatio eſt officium pontificale. Sed Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VI. *cap.* V. *de reform.* expreſſe prohibet Pontificalia exerceri in aliena diœceſi abſque Ordinarii loci manifeſta licentia. Ergo &c.

X. Quæſt. XIII. *Quis eſt proprius Epiſcopus Regularium, a quo debent Ordines ſuſcipere?* Reſp. Is eſt in cujus diœceſi commorantur, ut plura Concilia ſtatuerunt. Privilegium S. Pii V. revocavit Gregorius XV. Videndum circa hoc, decretum ultimum BENEDICTI XIV. an. 1746. cujus initium eſt: *Impoſiti nobis licet* &c. Hoc decretum dabimus in *Tom. I. Append.*

XI. Quæſt. IX. *Quis concedere poteſt litteras dimiſſoriales?* Reſp. 1. Epiſcopus proprius. 2. Ejus Vicarius generalis, ſi tamen expreſſam facultatem acciperet. 3. Capitulum cathedralis Eccleſiæ, ſede vacante, elapſo anno ab Epiſcopi morte; ut declaravit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* VII. *cap.* X. Has litteras dimiſſoriales concedere Epiſcopus non debet niſi iis quos ſub examine invenerit idoneos ut declarat Tridentinum *loc. cit. c.* III. Hæ litteræ non expirant morte concedentis, quia Sedes non moritur, ut habetur c. *Si gratioſe*.

XII. Quæſt. X. *Proprius Epiſcopus poteſt ne denegare Tonſuram, & Ordines iis quos cognovit dignos?* Reſp. Manifeſtum eſt Epiſcopum non poſſe repellere vel laicum a Tonſura, vel Clericum ab Ordinibus, qui dotibus tum corporis tum animi præditus eſt, ſimulque ſit Eccleſiæ utilis. Abuteretur enim tum poteſtate, ſibi in ædificationem, non in deſtructionem conceſſa. Licet enim Ordinatio gratia ſit; illius tamen dominus non eſt Epiſcopus, ſed diſpenſator & œconomus qui non ex affectu, ſed ad nutum Domini, ut prudens & fidelis miniſter, quem regere Eccleſiam ſuam conſtituit, diſpenſare illam debet. Sed raro in retinendo, frequenter & frequentiſſime in diſpenſando hanc gratiam peccari poteſt.

XIII. Quæſt. XI. *Quo tempore adminiſtrari Ordines licite poſſunt?* Reſp. Ordines majores conferri poſſunt ſabbatis quatuor temporum, ſabbato ante Dominicam Paſſionis, & ſabbato ſancto. Conſecratio Epiſcopi quolibet die dominico. Ordines minores privatim quolibet feſto, publice *fer.* VI. ante ſabbatum quo conferri poſſunt Ordines majores, aut eodem ſabbato. Prima Tonſura quolibet die. Hæc ſunt tempora conſueta. Ex privilegio aliis quoque diebus conferri ſacri Ordines poſſunt.

XIV. Quæſt. XII. *Quænam interſtitia ſervari in horum Ordinum adminiſtratione debent?* Reſp. Ex Tridentino *ſeſſ.* XXIII. *cap.* X. prohibetur Ordinatio in Subdiaconatum, antequam elapſus ſit annus a ſuſcepto ultimo minore Ordine: vel in Diaconatum, priuſquam elapſus annus ſit a ſuſcepto Subdiaconatu: vel in Sacerdotium antequam elapſus annus ſit a ſuſcepto Diaconatus Ordine. Hoc tempore ſe ſe in ſuſcepto Ordine exercere Clerici debent, atque Ordinis & ſuſcepti & ſuſcipiendi dignitatem meditari. In Ordinibus minoribus conferendis nulla ſunt interſtitia, ſed eodem die adminiſtrari cum prima Tonſura poſſunt. Caveat tamen Epiſcopus ne nimis liberalis diſpenſator ſit. Sed de hoc infra.

XV. Quæſt. XIII. *Quis in interſtitiis diſpenſare valet?* Reſp. Epiſcopus ex Concilio Trid. *loc. cit. c.* XI. diſpenſare cum ſuis ſubditis poteſt ex juſta & rationabili cauſa. Quænam hæc rationabilis cauſa? Ad diſpenſandum ſuper interſtitiis pro ſuſcipiendo Subdiaconatu, vel Diaconatu Tridentinum requirit vel neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ. Verum in præſenti, cum Eccleſia pluribus Clericis abundet, raro hæc utilitas adeſt. Prudentiæ tamen Epiſcopi judicium hujus vel neceſſitatis, vel utilitatis remittitur. Ad diſpenſandum vero pro Presbyteratu Tridentinum requirit & neceſſitatem, & utilitatem ſimul. Sed hæc omnia a prudentia Epiſcopi pendent. Capitulum Eccleſiæ cathedralis, ſede vacante, poſſe ſuper interſtitiis diſpenſare contendunt plures.

## CAPUT V.

### *De ſubjecto Ordinum.*

I. QUæſt. I. *Quinam apti ſint ad Ordines ſuſcipiendos?* Reſp. Convenit penes omnes, ſolum ſexum maſculinum, excluſis feminis, eſſe Ordinis capacem. Infantes, amentes, non baptizati ordinari nequeunt.

II. Quæſt. II. *Quænam ætas requiritur ad ſuſcipiendos Ordines?* Reſp. Pro minoribus Ordinibus nulla ætas deſignatur a Tridentino; ſed ſolum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* XI. *de reform.* ſtatuitur: *Minores Ordines iis qui ſaltem Latinam linguam intelligant,* . . . . . . . *confe-*

*ran-*



*rantur.* De majoribus vero *cap.* XII. hæc præſcribuntur. *Nullus in poſterum ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveantur . . . . Regulares quoque nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur, privilegiis quibuſcumque quoad hoc excluſis.* Ex conſuetudine prævalente ſat eſt ut anni præſcripti ſint incepti.

III. Quæſt. III. *Qui ante præſcriptum tempus ordinati ſunt, poſſunt ne functiones Ordinum exercere?* Reſp. Ex Bulla Pii II. ſi mala fide fuerint ordinati, neque ſuperveniente ætate exercere ſuſceptos Ordines valent. Et ſi miniſterium Ordinum obierint, irregularitatem continuo incurrunt. Qui vero bona fide ordinantur, exiſtimantes ſe ætatem legitimam habere, abſque peccato Ordinem ſuſcipiunt, atque adeo ſuſpenſionem non incurrunt, ut communiter Auctores docent.

IV. Quæſt. IV. *Poteſt ne ſuſcipi ſuperior Ordo, prætermiſſo inferiore?* Reſp. Negant omnes, licite hoc fieri poſſe: valida tamen eſſet ordinatio, excepto Epiſcopatu. Qui per ſaltum ordinatus eſſet, ipſo facto ſuſpenſus maneret ab executione ſuperioris Ordinis per ſaltum ſuſcepti, ſecus ab executione ordinis inferioris rite ſibi collati. Si miniſtret in Ordine per ſaltum ſuſcepto, fit irregularis, a qua irregularitate non poteſt niſi a ſummo Pontifice diſpenſari. Epiſcopus ex legitima cauſa poteſt ſic ordinatum per ſaltum abſolvere a ſuſpenſione, & Ordinem prætermiſſum conferre, dummodo tamen in Ordine per ſaltum ſuſcepto non miniſtraverit: quia tunc eſſet irregularis, a ſolo Pontifice ſummo abſolvendus. Concilium Tridentinum tamen *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. *de reform.* concedit ut Epiſcopi abſolvere ab irregularitate occulta valeant. Quod ordinatio in Epiſcopatum, prætermiſſo Presbyteratu, ſit invalida, patet ex iis quæ dicta ſunt. Quoniam Epiſcopatus præciſe ſumptus non includit poteſtatem conficiendi Euchariſtiam: immo juxta ſententiam S. Thomæ, mihi probabiliorem, Epiſcopatus non eſt ſacramentum diſtinctum a Presbyteratu. Quare, ut quis conſecrari Epiſcopus poſſit, prius debet eſſe Presbyter.

V. Quæſt. V. *Qui non confirmatus Ordines ſuſcipit, peccat ne mortaliter?* Reſp. Synodus Tridentina *ſeſſ.* XXIII. *cap.* IV. *de reform.* hæc ſtatuit. *Prima Tonſura non initientur qui ſacramentum confirmationis non ſuſceperint.* Quapropter peccare mortaliter illum qui ſcienter, prætermiſſo hoc ſacramento, ſuſciperet Tonſuram, & Ordines, docent Toletus, Nugnus, Caſtropalaus, Averſa, Bonacina, quos citat P. Claudius La-Croix *num.* 2223. ubi refert etiam Buſembaum, & 12. alios præter citatos ab eodem Buſembaum, qui docent eſſe tantum peccatum veniale. Et hæc ſententia, inquit P. La-Croix, eſt probabilior. Eccur? Quia *ubi agitur de mortali contrahendo, non eſt aſſerenda obligatio, niſi certius conſtet.* Hoc eſt axioma probabiliſticum, plurium malorum fons. Quando agitur de mortali contrahendo, debet *certius conſtare.* Et niſi hoc certius conſtet, opinio Buſembaum, & quorumdam aliorum Caſuiſtarum ejuſdem ſubſellii evadit probabilior, quia favorabilior humanæ libertati. Lectoribus meis recordor ſaluberrimam S. Thomæ regulam. *Omnis quæſtio in qua de peccato mortali agitur, periculoſe determinatur, niſi veritas expreſſe habeatur:* quodlib. IX. Periculoſe determinatur tam affirmando, quam negando eſſe mortale. Quid ergo agendum? *Declina a malo, & fac bonum.* Suſceptio Tonſuræ, & aliorum Ordinum, prætermiſſo confirmationis ſacramento, malum eſt juxta omnes. Ergo abſtinendum. Graviores Theologi, & etiam benigniores, docent malum illud eſſe mortale. Graviſſima ſacramentorum materia crimen illud formidandum repræſentat. Bilances caſuiſticæ ponderandi gradus malitiæ nobis deſunt; ſed habemus regulam hanc nobis certiſſimam: *In dubiis tutior pars eligenda,* pulſis *Reflexiſtarum* chimæricis commentis.

VI. Quæſt. VI. *Quid ſit titulus clericalis, & quotuplex?* Reſp. Titulus generatim accipitur pro jure ad quidquam legitime poſſidendum; hic vero ſumitur pro Beneficii poſſeſſione. Clericalis titulus triplex, eccleſiaſticus, patrimonialis, monaſticus.

VII. Titulus clericalis eccleſiaſticus eſt jus fruendi Eccleſiæ bonis. Jus illud nunc acquiritur per Beneficium pacifice poſſeſſum, aut per penſionem clericalem. Primis Eccleſiæ ſæculis Clerici non ordinabantur, niſi uni Eccleſiæ addicti; ipſaque ordinatio titulus erat quo jus Clerico ordinato tribuebatur accipiendi alimenta ex bonis Eccleſiæ.

VIII. Titulus patrimonialis eſt jus percipiendi fructus ex aliis quam Eccleſiæ bonis, quæ vel gratuita donatione, aut hereditaria ſucceſſione Ordinato obveniunt.

IX. Solo titulo eccleſiaſtico, excluſo patrimoniali, uſque ad ſæculum X. ordinati fue-

runt Clerici uni determinatæ Eccleſiæ addicti, & mancipati. Et hoc titulo ab Eccleſia alimenta accipiebant. Quapropter ad aliam tranſire Eccleſiam illis permiſſum non erat. Plura ſunt Concilia quæ hunc tranſitum vetant. Concilium Arelatenſe I. an. 314. can. xxi. *Presbyteri, & Diaconi, ſi relictis locis ſuis, in quibus ordinati ſunt, ad alium ſe locum transferre voluerint, deponantur.*

X. S. Leo, qui per Legatos præfuit Concilio Chalcedonenſi, *epiſt.* lxxxvi. hæc ſcribit. *Illam quoque partem eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæ olim a ſanctis Patribus, & a nobis ſæpe decretum eſt, ut nec in Presbyteratus gradu, nec in Diaconatus Ordine, nec in ſubſequenti Ordine Clericorum ab Eccleſia ad Eccleſiam cuique tranſire ſit liberum, ut integram revocetis, admonemus. Et unuſquiſque non ambitione illectus, non cupiditate ſeductus, non perſuaſione hominum depravatus, ubi ordinatus eſt, perſeveret; ita ut ſi quis ſua quærens, non quæ Jeſu Chriſti, ad plebem, & Eccleſiam ſuam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & a communionis vinculo habeatur extraneus.*

XI. Sæculo xii. viciſſitudinem paſſa Eccleſiæ diſciplina eſt. Nam Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. cap. v. ſtatuit, ut Epiſcopus qui ſine titulo eccleſiaſtico in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, alimenta eidem ſubminiſtret, *niſi forte talis qui ordinatur, extiterit, qui de ſua, vel paterna hereditate ſubſidium vitæ poſſit habere.* Hæc verba Alexandri III. ſæculo xiii. ſub Gregorio IX. inſerta fuere corpori iuris canonici. Et hic mos obtinuit uſque ad Concilium Tridentinum, in quo, ut narrat Cardinalis Pallavicinus *Lib. VII. cap.* ix. acerrime diſputatum eſt adverſus titulum patrimonialem. Plures ſiquidem contendebant, nullam graſſantibus malis, quibus laborabat Clerus, afferri remedium poſſe, niſi, de medio ſublatis vagis ordinationibus, inſtauraretur priſca Eccleſiæ diſciplina. Clamabant, Sacerdotes vinculo proventus, & tituli eccleſiaſtici ſolutos, ſimiles equis eſſe freno deſtitutis. Bonis quippe paternis contenti, contempta Eccleſia, obedientiam ſolemni ritu promiſſam violant, otio diffluunt, ludis, venationibus, & ceteris mundi oblectamentis, non ſecus ac laici, indulgent. Ambitionis æſtu ſuccenſi dignitates Eccleſiæ anhelant, & ſcandala ſæculo ingerunt. Opponebant alii, proventus, & reditus Eccleſiæ minime ſufficere ad alendos Eccleſiæ miniſtros, ac propterea tolerandos patrimoniales titulos.

XII. Sacra Synodus, divino lumine perfuſa, ut utriuſque generis malis occurreret, regulam condidit ſplendidiſſimam ſaluberrimamque: quæ ſi ſervaretur, mirum in modum floreret eccleſiaſtica diſciplina. Primum ſtatuit ut Epiſcopus neminem etiam titulo patrimonii ordinet, niſi quem Eccleſiæ utilem, vel neceſſarium judicaverit. *Patrimonium vero* (inquit) *vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum, eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint.* Ut vero Tridentini Patres occurrerent malis quæ exaggerata fuere adverſus Clericos nulli Eccleſiæ addictos, vetuit Synodus *ſeſſ.* xxiii. *cap.* xvi. *de reform.* ne quis deinceps ordinetur quin ſit alicui Eccleſiæ addictus. Cum, inquit, *nullus debeat ordinari qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus, veſtigiis ſexti canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, ut nullus in poſterum ordinetur qui illi Eccleſiæ, aut pio loco pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur.* En diſciplinam eccleſiaſticam ad ſuum priſcum reſtitutam ſplendorem. Hæc ſerventur, & reformatio Cleri ſponte ſua conſurgit. Variæ ſunt pœnæ in diverſis diœceſibus contra illos qui nullo titulo aut patrimonii, aut Beneficii ordinantur, quas non vacat recenſere.

XIII. Tertius titulus eſt monaſticus, vi cujus ordinantur Regulares ſuis Monaſteriis addicti, qui titulus paupertatis vocatur. Hi enim de bonis Eccleſiæ, ſeu domus in qua profeſſi ſunt, ſuſtentantur.

## CAPUT VI.

*De effectibus ſacramenti Ordinis.*

I. Quæſt. I. *Quot ſunt effectus ſacramenti Ordinis?* Reſp. Tres communiter aſſignantur effectus: 1. gratia ſanctificans, 2. gratia ſacramentalis, 3. character. Quod ſacramentum Ordinis gratiam ſanctificantem producat, evincit S. Thomas in *Supplem. quæſt.* xxxv. *art.* 1. hac ratione. *Dicendum, quod Dei perfecta ſunt opera, ut dicitur Deuter.* xxxii. *Et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dan-*



*tur etiam ea per quæ executio illius potentiæ poſſit congrue fieri. Et hoc etiam in naturalibus patet; quia animalibus dantur membra quibus potentiæ animæ poſſunt exire in actus ſuos, niſi ſit defectus ex parte materiæ. Sicut autem gratia gratum faciens eſt neceſſaria ad hoc quod homo digne ſacramenta recipiat; ita etiam ad hoc quod homo digne ſacramenta diſpenſet. Et ideo ſicut in baptiſmo, per quem fit homo ſuſceptivus aliorum ſacramentorum, datur gratia gratum faciens; ita in ſacramento Ordinis, per quod homo ordinatur ad aliorum ſacramentorum diſpenſationem.*

II. Non modo per ſacramentum Ordinis gratia ſanctificans, verum etiam excellens gratia producitur, ſubdit S. Thomas ibidem *ad* 3. inquiens: *Ad idoneam executionem Ordinum non ſufficit bonitas qualiſcumque, ſed requiritur bonitas excellens; ut ſicut illi qui Ordinem ſuſcipiunt, ſuper plebem conſtituuntur gradu ordinis, ita & ſuperiores ſint merito ſanctitatis. Et ideo præexigitur gratia, quæ ſufficiat ad hoc quod digne connumerentur in plebe Chriſti; ſed confertur in ipſa ſuſceptione Ordinis amplius gratiæ munus, per quod ad majora reddantur idonei.*

III. Gratia itaque ſacramenti Ordinis non modo bonum hominem efficit, ſed bonum ſanctiorem reddit. S. Gregorius in *cap.* x. *Lib. I. Reg.* (ſi tamen ille hujus operis eſt Auctor) ait: *Saul in Principem unxit Samuel, Deus autem ei cor aliud immutavit: quia ſacrorum Ordinum ſacramenta ab Eccleſiæ doctoribus foris accipimus, ſed ſacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur. Virtus vero ſacramenti gratia eſt Spiritus ſeptiformis: quam certe gratiam qui accipiunt, quaſi alio accepto corde immutantur, quia quos gratia ſua ſanctus Spiritus roborat, eſſe eos facit protinus quod non erant.* Quamvis igitur gratia ſanctificans ſit omnium ſacramentorum communis effectus, tamen ſacramenti Ordinis effectus eſt gratiæ excellentioris plenitudo.

IV. Quæſt. II. *Omnes ne qui Ordinis ſacramento inſigniuntur, ſuſcipiunt gratiæ plenitudinem?* Reſp. Confertur juxta ſuſcipientium diſpoſitionem iis qui vocati a Domino ſunt ad tantum munus. Sacramenta enim novæ legis, tametſi natura ſua gratiam producant, pro diſpoſitione tamen ſuſcipientium plus vel minus gratiæ conferunt. Initiandorum quiſque conſcientiam ſuam exploret, ut colligat quam gratiæ plenitudinem ſperare a Deo valeat: videat, ſi revera vocatus, dotibuſque neceſſariis præditus ſit.

V. Quæſt. III. *Quid ſit gratia ſacramentalis quæ dicitur ſecundus ſacræ Ordinationis effectus?* Reſp. *Eſt jus fundatum in gratia ſanctificante, a ſacramento Ordinis producta, ad accipienda auxilia actualia ſupernaturalia, quæ mentem illuſtrent, & cor accendant, ut initiati digne, & ſancte exercere proprium miniſterium valeant.* Hujus gratiæ ſacramentalis vi inflammatur initiati animus ad Scripturarum intelligentiam, ad ſpiritum Eccleſiæ aſſequendum, ut ea adimpleat quæ deſunt Chriſti paſſioni. Gratiæ hujus plenitudo animum erigit ad peccatorum converſionem procurandam, mentem illuminat ad exponendam populis legem ſanctam. Gratia hæc in initiati labiis diffunditur, ut indurata hominum corda emolliat, ut obtenebratas illuminet mentes, ut populum ædificet, ſuiſque virtutum exemplis ad virtutum ſemitam calcandam incitet.

VI. Finis propter quem inſtitutum hoc ſacramentum eſt, evincit ejuſmodi bona eſſe illius effectus. Omnia quippe ſacramenta novæ legis gratiam conferunt fini ad quem ſunt inſtituta, comparando quam maxime conſentaneam. Diximus, unctionem extremam auxilia impertiri ad mortis dolores ſuſtinendos, ad hoſtium inſultus repellendos, tentationeſque ſuperandas. Sacramentum matrimonii vim præbet ad libidinem comprimendam, ad liberos ſancte educandos, quia in hunc finem inſtitutum eſt. Ergo cum ſacris Ordinibus inſigniti duces electi ſint, ut populum chriſtianum dirigant in via Domini, ut eum legem ſanctam doceant, eumque adverſus tenebrarum harum poteſtates illuminent, atque contra hoſtes arment, animentque, gratiam confert opportunam qua obire tam excelſa miniſteria queant.

VII. Quæſt. IV. *Quid ſit character, qui eſt tertius hujus ſacramenti effectus?* Reſp. Eſt ſignum Chriſti in anima indelebiliter impreſſum, quo ſacris Ordinibus initiati ſecernuntur a ceteris non ordinatis, & efficiuntur idonei ad functiones eccleſiaſticas.

VIII. Plures alii effectus ſolent recenſeri, ſed non ſunt dicendi ſacramentales: ut ſunt obligatio ſervandæ caſtitatis vi voti annexi, recitandi horas canonicas, privilegium canonis & fori, & alia, quæ non ſunt, ut dixi ſacramenti effectus, ſed obligationes, & privilegia, quæ ſtatum clericalem conſequuntur. Verum de obligationibus Clericorum mox dicam.

CA-

## CAPUT VII.

*De vocatione initiandorum, & de ſignis quibus dignoſci valeat.*

I. QUÆ dicturus hoc in capite ſum, attentiorem poſtulant lectorem, quod propius illius æternam ſalutem ſpectent. Splendidiſſima eſt ſacerdotalis dignitas; ſed S. Bernardus *ep.* XVII. ad Ardutionem inquit: *Si altiorem, quam meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium expectamus.* Quoniam vero plura in titulo propoſiti diſcutienda & ſcitu utilia, & utilitate graviſſima, ideo in varios illa tribuam paragraphos. Caſuiſtæ, qui præ ceteris ſunt in Confeſſariorum manibus, ut La-Croix, Viva, Tamburinus, Bonacina vix verba faciunt de hoc argumento, quod unum graviſſimum eſt inter omnia quæ de ſacramento Ordinis tractantur. Illud vero pro dignitate tractant Bonus Merbeſius, Antonius Godeau, Ludovicus Habert, & plures alii graviores Theologi, qui morum Theologiam non conſtant ex contrariis opinationibus caſuiſticis, quique toti non ſunt in diſputando, vitilitigando, utrum hoc ſit mortale, an veniale; ſed in id potiſſimum incumbunt, ut a vitiis homines revocent, & ad chriſtianas virtutes inflamment, doceantque recte vivere, non ſophiſtice diſputare. Ad rem igitur.

### §. I.

*Notio vocationis ad ſtatum clericalem.*

I. DUplici modo vocationem ad ſtatum aliquem Theologi conſiderant: 1. in decretis divinis, 2. in effectibus, & executione, ut ſapienter de more S. Thomas *I. Part. quæſt.* XXII. *art.* 1. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod ad curam duo pertinent; ſcilicet ratio ordinis, quæ dicitur providentia, & diſpoſitio; & executio ordinis, quæ dicitur gubernatio: quorum primum eſt æternum, ſecundum temporale.* Divina providentia dupliciter ſpectatur. 1. in mente divina, quatenus Deus ab æterno rebus ſingulis in tempore producendis fines præſtituit, rationeſque ordinat & media quibus unaquæque ſuum aſſequi finem valeat. 2. in tempore, in quo Deus ſecundum conſilium voluntatis ſuæ ab æterno conceptum operatur. Samuel miſſus eſt ad domum Iſai, ut ex eius filiis unum ungeret. Reiecit natu maiorem, & ceteros, unxitque Davidem, quem Deus ab æterno elegerat. Similiter evenit in vocatione miniſtrorum Eccleſiæ, quos elegit Deus in Chriſto ante mundi conſtitutionem, ut ſint ſancti & immaculati per gratiam ab æterno illius præparatam, & ſuo tempore conferendam, qua ſacra obire miniſteria valeant.

II. Vocatio autem, de qua nunc loquimur, deſcribi poteſt, quod ſit *actus providentiæ ſupernaturalis, quo Deus hos præ illis eligit, præparatque dotibus conſentaneis ad ſacra officia obeunda.* Dicitur actus providentiæ ſupernaturalis, quia iuxta noſtrum concipiendi modum duplex diſtinguitur providentia: alia naturalis, quæ omnia etiam viliſſima & minima ordinis huius naturalis dirigit in proprium finem; altera ſupernaturalis, qua Deus homines ratione præditos erigit dirigitque, ſicut ſagittam ad ſcopum, inquit Angelicus, in finem ſupernaturalem, quem comparare propriis viribus non valent. Status autem ſacerdotalis ſupernaturalis eſt, cui nemo propria induſtria & labore idoneus eſt: idcirco neceſſaria eſt ſupernaturalis providentia, quæ dirigat, quæque congrua & efficacia auxilia præbeat, tanto fini indipiſcendo opportuna. Hæc vocatio, qua Deus alios præ aliis eligit ad hunc ſtatum clericalem, diſtinguitur a vocatione ad vitam æternam: quoniam ad hanc omnes, ad ſtatum ſacerdotalem paucos ex hominibus Deus vocat. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* inquit Paulus *I. Cor.* XII.

III. Tandem Deus vocatos ad hunc ſtatum præparat dotibus congruis ad ſacra miniſteria digne ſancteque exercenda, ut S. Thomas *I. Part. quæſt.* XXII. *art.* 3. docet, inquiens: *Deus immediate omnibus providet, quia in ſuo intellectu habet rationem omnium etiam minimorum: & quaſcumque cauſas aliquibus effectibus præfecit, dedit eis virtutem ad illos effectus producendos. Unde oportet quod ordinem illorum effectuum in ſua ratione præhabuerit.* Quos itaque ab æterno Deus elegit ad ſtatum clericalem, eoſdem in tempore dotibus ornat tam auguſto muneri congruis.

IV. Effectus illos vocationis alii naturalis, alii ſupernaturalis ordinis ſunt: alii ipſum vocatum, alii illos quibus præeſſe vocatus debet, ſpectant. Et principio corpus cuiuſque in ipſo materno utero ita format, ut ad deſtinatum officium aptum ſit. Corporis deformitas, animi hebetudo, & ſæva indoles impedimenta ſunt, & ſigna, hunc vel illum non eſſe ad ſtatum clericalem vocatum. Dona ſupernaturalia ſunt auxilia & dona perpetuæ continentiæ, ceteræque gratiæ, ſine quibus pondus ſublimis dignitatis ſuſtineri haud poſſet. Si Sacerdos deſtinetur populo regendo, tamquam ad hoc munus vocatus, tum dona ſupernaturalia docibiles reddunt ſubditos, ut Paſtorum voces audiant; quemadmodum Chriſtus Dominus teſtatur *Ioan.* X. inquiens: *Oves illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius; alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* Animadvertendum tamen, illis duntaxat ſubditis hanc docilitatis gratiam reipſa concedi qui oves Chriſti ſunt, ſecus hœdis. Ipſi Prophetæ, Apoſtoli, immo ipſe Chriſtus inobedientes & rebelles experti ſunt: quia hœdi erant ovibus permixti. Quare Chriſtus *Ioan.* X. ait: *Oves meæ vocem meam audiunt.* Deinde ibidem ſubdit: *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Rurſus cap. VIII. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*



### §. II.

*De neceſſitate divinæ vocationis ad ſacros Ordines ſuſcipiendos.*

I. NEceſſitas huius divinæ vocationis ex Scripturis ſanctis manifeſte eruitur. In veteri teſtamento ex duodecim tribubus Leviticam Deus elegit, unde miniſtros aſſumeret ad ſui tabernaculi cultum. Inſuper peculiari electione deſtinavit perſonam Aaronis, quam conſtituit *ſuper cultum Sacerdotii*, adiecta comminatione, *quod externus qui ad miniſtrandum acceſſerit, morietur*: Num. III.

II. In nova lege Chriſtus Dominus, præordinatus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſech, ut *Pſalm.* CIX. habetur, non a ſemetipſo, ſed miſſus a Patre eſt, *ut nobis eſſet Pontifex* (inquit Paulus Hebr. IX.) *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cælis factus.* Quamobrem S. Ioannes *cap.* VII. inquit: *Clamabat in templo docens: A me ipſo non veni, ſed eſt verus qui miſit me.* Porro ille miſſus a Patre vocavit ad idem Sacerdotium Apoſtolos. *Vocavit ad ſe quos voluit ipſe*, inquit Marcus *cap.* III. & S. Lucas *cap.* X. ſubdit: *Deſignavit Dominus alios ſeptuaginta duos, & miſit.* Et Apoſtoli, cum ſubſtituere deberent qui locum Iudæ impleret, implorarunt a Deo ſibi vocationis & electionis ſigna manifeſtari: *Oſtende quem elegeris ex his duobus*: Act. I. Illos vero qui uſurpare hunc Ordinem audent, quin ſint vocati, fures & latrones declarat Chriſtus, *cap.* X. *Ioan.* dicens: *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.* Rapiunt ergo furanturque Sacerdotium quotquot non a Deo vocati, ſed humanis rationibus ad illud aſcendunt non per oſtium, ſed aliunde. Quodnam oſtium illud? Reſpondet Chriſtus ipſe *loc. cit.* inquiens: *Amen, amen dico vobis, quia ego ſum oſtium.... Per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* Qui ergo Chriſto non vocante hunc Ordinem excelſum, ſanctumque ingrediuntur, tamquam fures & latrones puniuntur. Rurſus Chriſtus *Ioan. cap.* XV. Apoſtolos alloquens ait: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos.... ut fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Rurſus Luc. cap. X. *Rogate dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Tandem S. Paulus Hebr. *cap.* V. inquit: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu.*

III. Ex his teſtimoniis tremenda proficiſcuntur conſectaria. Non ſat eſt ſcientia, & ſanctitate refulgere, ut quiſquam Sacerdos, aut ovium Paſtor evadat. Moyſes Rector populi manſuetudine, ſcientia, prudentia clariſſimus fuit; tamen ad ſummum Pontificatum non fuit evectus. Ioſeph Barſabas vir erat iuſtus, & timens Deum; & ob præclara merita Apoſtolatu dignus erat: nec propterea Deus illum elegit. Quæ ergo tremenda mala illis imminent qui & ſcientia, & morum integritate deſtituti, immo & ignorantiæ tenebris circumfuſi, & flagitiorum ſordibus polluti, hanc præſtantiſſimam dignitatem uſurpare ſibi non reformidant?

IV. Quæ hactenus dicta ſunt ex Scripturis divinis, confirmant Sacerdotum, & Epiſcoporum qui morum ſanctitate floruerunt, exemplis poſſunt. Quo enim erant ſanctiores, eo magis ordinationi ſuæ in animarum Paſtores aut reſiſtebant, aut non niſi expreſſe vocati annuebant. Non narrabo S. Monachum Ammonium digitos, S. Marcum Evangeliſtam pollicem ſibi amputaſſe, alios fugam ad deſerta & ſpeluncas arripuiſſe; alios mortem a Deo impetraſſe, ne Epiſcopi fierent. Quid non egit S. Ambroſius, ut Epiſcopatum declinaret? De S. Cornelio Papa hæc ſcribit *epiſt.* LII. S. Cyprianus: *Epiſcopatum ipſum nec poſtulavit, nec voluit; ſed quietus, & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conſcientiæ, & pro humilitate ingenitæ ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ, non, ut quidam,*

*dum, vim fecit ut Epiſcopus fieret, ſed ipſe vim paſſus eſt ut Epiſcopatum coactus acciperet.* S. Auguſtinus *Epiſt. ad Valerium* Epiſcopum, qui Presbyterum invitum Auguſtinum ipſum ordinare voluit, hæc ſcribit inter alia plurima. *Ante omnia peto ut cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie, atque adulatorie res agatur; ſed nihil apud Deum & triſtius, & miſerius, & damnabilius. Item nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore, difficilius, laborioſius, Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur quo noſter Imperator jubet. Quis autem ſit modus, nec a pueritia mea, nec ab adoleſcentia mea didici; & eo tempore quo diſcere cœperam, vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum. Nam quid aliud exiſtimem neſcio, ut ſecundus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram. Sed arbitror Dominum meum propterea me ſic emendare voluiſſe, quod multorum peccata nautarum, antequam expertus eſſem quid illic agitur, quaſi & melior reprehendere audebam.* Meditare Auguſtinum inquientem: *Vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum.*

V. S. Bernardus de vita & moribus Clericorum, ſeu Auctor hujus tractatus *cap.* v. ait: *Videte vocationem veſtram, ait vocatus Apoſtolus. Conſideremus & nos, an vocati venerimus . . . . Quid iſtud temeritatis, immo quid inſaniæ eſt? Ubi timor Dei, ubi mortis memoria, ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi, niſi Rege introducente, præſumit. Tu irreverenter irruis non vocatus, non introductus?* Trahe me poſt te, *ait illa:* in odorem unguentorum tuorum curremus. *Nunc autem trahit ſua quemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes, quæſtum æſtimant pietatem: quorum certa eſt damnatio.* Rurſus tractatu de converſione ad Clericos *cap.* xix. clamat: *Tollitis, non accipitis claves, de quibus Dominus queritur per Prophetam:* Ipſi regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & ego non vocavi eos. *Unde tantus prælationis ardor, unde ambitionis impudentia tanta, unde veſania tanta præſumptionis humanæ? Audet ne aliquis veſtrum terreni cujuslibet Reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare miniſteria, præcipere beneficia, negotia diſpenſare? Nec ita Deum putes, qui in magna domo ſua e vaſis ejus opus in interitum ſuſtinet, appendere.*

VI. Vel ipſos ſenſus percellit ratio quam prodit S. Bernardus. Nemo vel unius minimi Reguli audet, eo non jubente, aut repugnante, principatus negotia, & beneficia tractare, diſpenſare, dirigere. An reperitur operarius adeo inſanus, ut, patrefamilias non vocante, aut reluctante, illius vineam ingredi, & in eadem ſerere, eradicare, & plantare auſit? An non inſanus haberetur qui boni publici promovendi obtentu, Reipublicæ procurationem uſurpare, officia diſtribuere & civibus jura decernere non dubitaret? Quanto ergo inſaniores, quanto impudentiores habendi illi ſunt in regno ſpirituali Chriſti Ieſu, qui ſupremam ſibi uſurpare auctoritatem & imperium, Deo ipſo non vocante, audent? Quis complecti oratione valet malorum iliadem, quæ hanc divini ordinis perturbationem conſequuntur? Imaginem aliquam, licet valde imperfectam, nobis adumbrabit ordinis naturalis perturbatio. Unde procellarum & tempeſtatum fluctus, abſorbentes naves, inſulas, & provincias? Unde fulgura & tonitrua? Unde horribiles terræmotus, unde tot infortunia, tot caſus adverſi, tot molimina fruſtrata, tanta humani ſanguinis effuſio, tot bella truculentiſſima, tanta hominum carnificina? Unde? Niſi ex ordinis a Deo præſcripti interturbatione. Quid quod ipſi Ethnici hanc agnovere veritatem? eamque rationum momentis, & vividis ſimilitudinibus exornat Cicero *Lib. I. Offic.* unde plurima hæc tranſcribenda forent. Pauca ex *cap.* xxxviii. indicabo. *Id enim,* inquit, *maxime quemque decet quod eſt cujuſque ſuum maxime. Suum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & vitiorum, & bonorum ſuorum judicem præbeat, ne ſcenici plus quam nos videantur habere prudentiæ. Illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt. Qui voce freti ſunt, Epigonos, Medeamque; qui geſtu, Menalippam, vel Clytemneſtram: ſemper Rutilius, quem ego memini, Antiopam, non ſæpe Æſopus Atreum. Ergo hiſtrio hoc videbit in ſcena quod non videbit ſapiens in vita?* Quid diceret Tullius ſi viveret, & chriſtianæ religionis lumine perfuſus ſpectaret hos & illos ambire altiſſimam æterni Sacerdotii dignitatem, quam vel referre in ſcena multi hiſtriones non auderent?

VII. Vocatio divina eſt veluti fons & radix gratiarum & donorum quæ ſtatui ſuſtinendo vires idoneas conferunt. Sublata vocatione, deſunt præſidia neceſſaria; & ea poſita, omnia ſuccedunt proſpere, ut S. Thomas in *Supplem. quæſt.* xxxv. *art.* 1. docet. *Dei*

*per-*



*perfecta ſunt opera: & ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea per quæ executio illius potentiæ poſſit congrue fieri.* Ergo, ſublato vocationis fundamento, univerſum corruit ſacerdotale ædificium. Quamobrem Apoſtolus *II. Corinth.* iii. inquit: *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti.* Et ut multa in pauca contraham, nullum opus gratum Deo eſſe poteſt, tametſi natura ſua præferat bonitatem, niſi ad ejus nutum & voluntatem fiat. Qui, Deo non vocante, ſuſcipiunt ſacros Ordines, eorumque miniſteria agunt, licet hæc bona & laudabilia ſint, Deo placere nequeunt. Numquid famuli opera domino grata forent quæ illo repugnante fierent? Præcipit dominus ut famulus vineam excolat, ut mercaturam exerceat, ut domum cuſtodiat. Hic autem depingit, & quidem excellenter, volumina eruditiſſima ſcribit, ædificia conſtruit. Numquid opera illa, quantumvis perfecta, domino placerent, & ab eodem mercedem acciperent? *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat:* inquit Paulus *I. ad Tim. III.* in quem locum hæc S. Thomas *lect.* 1. ſcribit. *Ex hoc ſumpſerunt aliqui occaſionem ambitionis Epiſcopatus, & prælationis; ſed non recte intelligunt quod hic dicitur. Apoſtolus enim hic voluit oſtendere quid pertineat ad Epiſcopatum . . . . . Epiſcopus ergo dicitur quaſi ſuperintendens. Duo ergo ſunt conſideranda in Epiſcopo, ſcilicet gradus ſuperior, & actio plebi utilis. Aliqui projiciunt forte oculos ad quæ circumſtant eum, ſcilicet quod qui præeſt honoratur, & quod habet poteſtatem. Et qui propter iſta deſiderat Epiſcopatum, neſcit quid ſit Epiſcopus, & quid deſideret qui Epiſcopatum deſiderat . . . Sed numquid licet ipſum deſiderare? Auguſtinus dicit, quod non . . . . Cujus ratio eſt, quod nullus debet appetere aliquid ſupra vires ſuas, non ſibi proportionatum, alias eſſet STULTUS. Ille ergo bene Epiſcopatum deſiderare poſſet cujus facultas Epiſcopatui eſſet proportionata. Ad hoc autem nullus eſt idoneus: quia Prælatus ſecundum gradum, & converſationem debet omnes alios excedere in converſatione, & contemplatione, ita ut in reſpectu ſui alii ſint grex. Et hanc idoneitatem de ſe præſumere eſt maximæ ſuperbiæ. Aut ergo appetit circumſtantia, & tunc neſcit quid appetat, quia non eſt hoc Epiſcopatus; vel ipſum opus, & hoc eſt ſuperbia.* Revera Epiſcopatus bonum, & quidem præſtantiſſimum opus eſt. At qui illud Deo non vocante ſuſcipit, bonum male, immo peſſime ſuſcipit: & duo crimina committit. Alterum eſt omiſſionis: quia cum Deo non vocante Clericus efficitur, negligit alium ſtatum ad quem electus erat, ut in eodem Deo inſerviret, eaque gereret quæ ad optimum chriſtianæ Reipublicæ ordinem conferrent; & omnia omittit, unde perturbatio ordinis inſurgit. Alterum eſt commiſſionis, & quidem continuum, quoad vitam ducit in hac mundi ſcena: quia aliena officia, Deo repugnante, exercet, ſacrificia offert, verbum Dei prædicat, parochiam excolit; at omnia contra Dei voluntatem. Porro Chriſtus *Matth.* xv. teſtatur: *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur:* & Ioan. cap. xv. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Rurſus Matth. viii. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia numquam novi vos. Diſcedite a me, qui operamini iniquitatem.* Quis hæc Chriſti IESU oracula ſerio meditans, totis artubus non contremiſcit? Quis non videt, quam formidanda ſit deliberatio eligendi hunc præ alio ſtatum, non implorata Dei miſericordia, & vocationis gratia.

VIII. Quid ergo, inquies, agent tot Sacerdotes, tot Paſtores, qui indiciis valde probabilibus deprehenduntur ſe non eſſe ad hæc miniſteria vocatos? Seminabunt ergo iſti in agro alieno, ex quo metere nequeunt? In vanum iſti currunt, cum non ſint a Deo miſſi? Numquid deſerere hunc ſtatum debent, ut alium ſuſcipiant? Abſit. Poſtquam ſtatus ſuſceptus eſt, juges preces fundendæ Deo ſunt, ut gratiæ dona neceſſaria ad munera illius ſtatus obeunda impetrentur. Arcanum vocationis nos latet, Deoque ſoli patet. Vocatus Saul fuit, vocatus Iudas, & ambo improbati fuere. Aliorum vocationis initia mala fuere; ſed proſecutio bona, & exitus ſanctus. Catholicorum pauci electi, multi reprobi. Nemo tamen deſperare de ſua ſalute, nemo ſe judicare reprobum debet. Sed omnes ſatagere debent ut certam ſanctamque efficiant vocationem ſuam. Nemo deſerere propoſitum ſtatum licite poteſt, a quo recedere ſine peccato nequit.

IX. Neque inſiſtas, doctrinam datam plurimos avertere a ſtatu religioſo. Quoniam repono: utinam id verum eſſet, quia plurimi intrant non per oſtium, ſed aliunde, ceu fures, ut inquit Chriſtus, & latrones, qui ordinem divinæ providentiæ pervertunt.

Dei

Dei maieſtatem & dignitatem lædunt, dum ejuſdem implere regni ſedes, ipſo repugnante, non reformidant. *Satius enim eſt* (inquit Concilium Lateranenſe IV.) *maxime in ordinatione Sacerdotum paucos bonos quam multos malos habere*. Et S. Thomas in *IV. diſt.* XXIV. *art.* 3. *quæſtiunc.* 4. *ad* 1. inquit: *Deus ita nunquam deſerit Eccleſiam ſuam, quin inveniantur idonei miniſtri ſufficienter ad neceſſitatem plebis … Et ſi non poſſent tot miniſtri inveniri, quot modo ſunt, melius eſſet habere paucos miniſtros bonos quam multos malos.* Docet ibidem Angelicus, mortaliter eum peccare qui ejuſmodi non vocatos ordinat. Recogitent ergo illi qui, ut repleant Monaſteria, & Conventus, & Collegia, neceſſitatis fuco propagandæ ſobolis, & implendi ſedes, indiſcriminatim omnes accedentes admittunt. Propagatio hæc ſpiritualis & divina eſt. A Deo ergo proficiſcatur, non ab humana induſtria, oportet. Tu qui præes, indignos repelle; & Deus dignos tibi abundanter mittet. Illius, non tui eſt hierarchiæ eccleſiaſticæ miniſtros deligere. Tuum eſt explorare, num revera a Deo miſſi ſint qui ad te veniunt veſtem religioſam ſuſcepturi. At unde dignoſcam, ſint nec ne a Deo miſſi? Mox dicam.

## §. III.

*De ſignis divinæ vocationis ad ſtatum religioſum, & ſacerdotalem.*

I. Difficile admodum eſt internoſcere divinam ad aliquem ſtatum vocationem. Plura tamen ſigna occurrunt tam corporis, tum animi, alia ambigua & dubia, alia valde probabilia & quaſi certa, unde colligere poſſunt quorum intereſt, ſint nec ne candidati ad ſtatum religioſum, ad regimen animarum vocati. Pauca hic delibabo.

II. Illi non ſunt ad ſacros Ordines vocati quos corporis animique defectus ineptos reddunt ad ſacra miniſteria obeunda, præſertim ſi defectus iſti auferri nequeunt. Corporis defectus omnibus patent, ut irregularitates, de quibus infra, & alia impedimenta.

III. Defectus animi alii ſunt veluti a natura inſiti, vocanturque naturæ vitia, ut animus ferox, indoles ſæva & ferina, vel mollis, fluxa, & ad omnem ventum inſtabilis, ingenium retuſum, plumbeum, ſtupidumque, ſcientiis neceſſariis acquirendis omnino ineptum. Alii ſunt morales, & voluntarii, ut iracundia, ſuperbia, & cetera vitia, ad quæ alii præ aliis vel ex prava indole, aut vitioſa aſſuefactione propenſiores ſunt. Qui naturæ vitiis laborant, ad ſacros Ordines, ad munia ſacra non ſunt vocati. An Sacerdos, ferocis indolis alliciet gregem, & non potius in fugam aget? An Paſtores plumbei, retuſique ingenii effundent in populos divina eloquia, ſi illi ipſi eadem ignorant? Si mollis, tenerioris, atque fluxæ indolis ſint, carent evangelica fortitudine, & conſtantia pectoris ſacerdotalis, qua repellere lupos audaces, reprimere ſuperbos, & in ordinem redigere diſſolutos, atque murum pro domo Dei ſe opponere valeant. Hinc collige, quam alte decipiantur illi qui ſimiles Sacerdotes ad animarum regimen evehunt. Feroces, agreſtes, & feri communiter merito repelluntur ab omnibus. Contra ad omnem auram verſatiles, teneriores, flexibiles facillime promoventur: quia iſti ſinunt *vadere mundum ſicuti vadit*. Ad iſtorum latera, inquiunt, miniſtros idoneos deſignabimus, & iſtorum ſubſidio ſapienter gregem dirigent. O homines miſerrimi in viis ſuis! Miniſtri ergo erunt Paſtores, & Paſtores ſtatuæ figuram ſuſtinebunt? Miniſtri carent gratia vocationis, carent cœleſtium donorum copia: quia iſti, non Deo vocante, ſed humano artificio lenocinante, intruſi ſunt. Illuſio eſt pernicioſiſſima velle Paſtoris ineptitudinem miniſtrorum peritia compenſare. Qui ergo idonei non ſunt ad docendum, ad corripiendum, ad increpandum, & quidem cum imperio, fortitudine, ubi opus fuerit, inepti judicari debent ad regimen animarum, & tam electi, quam electores in periculo damnationis graviſſimo verſantur. *Noli* (inquit Deus Eccleſ. VII.) *quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ſcandalum ponas in æquitate tua.* Nec eſt quod obtrudas morum integritatem, vitæ ſanctimoniam, animi candorem: quia dotes iſtæ ſigna divinæ vocationis eſſe ad ſacerdotium queunt, ſecus ad animarum regimen.

IV. Defectus morales animi, quia voluntarii, corrigi poſſunt: propterea diverſo modo de illis, ac de incurabilibus naturæ vitiis judicandum eſt. Nam ſi adſit acre ingenium, optima indoles, animi fortitudo, ceteræque naturæ dotes, morales defectus, nempe voluntaria crimina, dubiam efficere vocationem dumtaxat valent. Quam dubitationem reſolvet director prudens præſcribendo pœnitentiam, & pietatis exercitia. Purgare a vitiorum ſordibus inquinatum animum ſtudeat: & ex fructibus dignoſcet, num planta excolta

ſit



ſit in vinea Domini conſtituenda. Non eſt attendendum, ad quid depravati juvenis propenſio inclinet; ſed ad id quod gratiæ, & pœnitentiæ vi ſanatus animus præſtare prudenter valeat.

V. Divinæ vocationis ſigna in juvene ad ſacros Ordines, ſtatumque religioſum capeſſendum hæc aſſignari communiter ſolent. 1. Si adoleſcens a ſæculi oblectamentis avulſus ſit, & a mundi amicis ſejunctus, & abſtractus. 2. Si non ad vitam privatam ſecum traducendam (quod a ſuperbis, & melancholicis, inquit doctiſſimus Merbeſius *diſſ.* VI. *de ſac. Ord.* §. 19. factitari ſolet) ſed ad ferventius in Dei obſequium, proximique ſalutem incumbendum, ſuccenſum ſe ſentiat. 3. Si orationis ſtudio afficiatur, ut ejuſdem ope explorare divinam poſſit voluntatem. Oratio enim eſt cum Deo commercium, animamque eidem conjungit, & dona neceſſaria obtinet. Si hanc ſuſtuleris, nihil impetrare, nihil obtinere poteris. 4. Ardens deſiderium adipiſcendi Ordines ſacros. Verum hoc ſignum pleruinque falſum eſt, & a cupiditate, non a caritate proficiſcens. Plures enim appetunt ſtatum clericalem, quia a parentibus ad id inſtantur, qui inde ſperant aut exonerare familiam, aut proventus & ſubſidia ſibi comparare. Alii rei familiaris anguſtia preſſi, & laborare, fodere, arare, piſcari, & alia laborioſa exercitia faſtidientes, ſtatum clericalem conſiderant veluti artem & profeſſionem, qua victum & veſtitum abſque labore & ſudore comparare ſibi faciliime valeant. *Clerici* (inquit S. Hieronymus epiſt. ad Nepotianum) *poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete, & fallace diabolo non habuerant; ut ſuſpiret eos Eccleſia divites, quos mundus tenuit ante mendicos.* Alii ambiunt dignitates, primas cathedras, & ſalutationes in foro. Omnia igitur recenſita ſigna ambigua ſunt, & ſola prudentia directoris poteſt diſtinguere, & pro circumſtantiarum diverſitate deprehendere, quando vera, & quando fucata ſint.

VI. Quæſt. unic. *Licitum ne Clericis eſt dignitates eccleſiaſticas, & animarum regimen appetere?* Reſp. Hanc difficultatem reſolvit S. Thomas 2. 2. *quæſt.* CLXXXV. art. 1. ubi hæc habet. *Dicendum, quod in Epiſcopatu tria poſſunt conſiderari. Quorum unum eſt principale, & finale, ſcilicet epiſcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, ſecundum illud Joan. ult.* Paſce oves meas. *Aliud autem eſt altitudo gradus: quia Epiſcopus ſuper alios conſtituitur, ſecundum illud Matth.* XXV. Fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. *Tertium autem eſt quod conſequenter ſe habet ad iſta; ſcilicet reverentia, & honor, & ſufficientia temporalium, ſecundum illud I. ad Timoth.* V. Qui bene præſunt Preſbyteri, duplici honore digni habeantur. *Appetere ergo Epiſcopatum ratione hujuſmodi circumſtantium bonorum manifeſtum eſt quod eſt illicitum, & pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem: Unde contra Phariſæos Dominus dicit Matth.* XXIII. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

*Quantum autem ad ſecundum, ſcilicet ad celſitudinem gradus, appetere Epiſcopatum eſt præſumptuoſum. Unde Dominus arguit diſcipulos Matth.* XX. *primatum quærentes, dicens:* Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum. *Ubi Chryſoſtomus …. dicit, quod per hoc oſtendit, quod Gentile eſt primatus cupere: & ſic Gentium comparatione eorum animam æſtuantem convertit.*

*Sed appetere proximis prodeſſe eſt ſecundum ſe laudabile, & virtuoſum. Verum quia, prout eſt epiſcopalis actus, habet annexam gradus celſitudinem, præſumptuoſum videtur, quod aliquis præeſſe appetat ad hoc quod ſubditis proſit, niſi manifeſta neceſſitate imminente; ſicut Greg. dicit in Paſtor. …. quod tunc laudabile erat Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad ſupplicia graviora pervenire. Unde non de facili inveniebatur qui hoc onus aſſumeret: præſertim cum aliquis caritatis zelo divinitus ad hoc incitatur, ſicut Greg. dicit in Paſtor … quod Iſaias prodeſſe proximis cupiens, laudabiliter officium prædicationis appetiit.*

*Poteſt tamen abſque præſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali officio eſſe, vel etiam eſſe dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus dignitatis. Unde Chryſoſt. dicit ſuper Matt. …. Opus quidem deſiderare bonum, bonum eſt: primatum autem honoris concupiſcere vanitas eſt. Primatus enim fugientem ſe deſiderat, deſiderantem ſe horret.*

VII. Ex hac angelica doctrina colligitur, licitum eſſe appetere prodeſſe hominibus, admiſſa hypotheſi quod quis eſſet ad id præſtandum idoneus. Tria S. Thomas diſtinguit in dignitatibus eccleſiaſticis. 1. eſt officium quod Dei cultum, & proximi utilitatem ſpectat. 2. eſt celſitudo gradus, vi cujus Paſtor dominatur in ſubditos. 3. obſe-

quium,

quium, reverentia, & reditus temporales debiti Paſtoribus. Officium epiſcopale, parochiale, ſeu regimen animarum ſecundum ſe ſpectatum licet appetere voluntate hypothetica, ſeu *conditionata*, ut ſic loquar; nempe, ſi eligendus idoneus ſit, & neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ id poſtulet. *Poteſt* (inquit Angelicus) *abſque præſumptione quilibet appetere talia opera facere, ſi eum contingeret in tali officio eſſe, vel etiam eſſe dignum ad talia opera exequenda; ita quod opus bonum cadat ſub deſiderio, non autem primatus dignitatis.* Deſiderium itaque, ut ſit licitum, ſpectare opus, laborem, & ſalutem proximorum debet, nullo modo dignitatem, honores, emolumenta. Verum in praxi mentitur iniquitas ſibi, & faciliime ſub fuco & larva laborandi & operandi in utilitatem Eccleſiæ latitat cupiditas, ſerpit ambitio, & ceteræ appetitiones pravæ zeli pallium induunt: ideo ab eiuſmodi deſideriis abſtinendum. Facile intellectus tria præfata diſtinguit; at cæca voluntas omnia comprehendit, & quod fortius percellit ſenſus, & carnis appetitiones, vehementius quoque appetit, videlicet dominatum, emolumenta, ſalutationes, obſequia &c. Innumera ſunt Patrum teſtimonia contra anhelantes dignitates eccleſiaſticas. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Opus* (inquit Hieron. ep. lxxxiii.) *non dignitatem: laborem, non delicias; per quod humilitas decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* Si plurima PP. teſtimonia cupis adverſus eos qui Paſtoris gradum, & animarum regimen anhelant, qui induſtria & arte humana utuntur, ut votorum ſuorum compotes efficiantur, lege Natalem ab Alexandro, Bonum Merbeſium, Ludovicum Habert: quia in Caſuiſtis modernis communiter vix unum SS. PP. teſtimonium offendes.

VIII. Nemo ergo ſe dignum reputet ad tantum onus ſuſtinendum; ſed viros doctos & pios conſulat. Deus mittit Saulum ad Ananiam: *Surge, & ingredere civitatem, & ibi dicetur, quid te oporteat facere*: Act. ix. Omnes Patres clamant, hanc ſarcinam ſuſcipiendam non eſſe, niſi caritatis neceſſitate, & ex illorum qui præſunt, imperio. *Quam ſarcinam* (inquit Auguſt. Lib. XIX. de civ. Dei c. xix.) *ſi nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum eſt veritati. Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter caritatis neceſſitatem.* S. Gregorius *I. Part. Paſt. cap.* vi. ait: *Virtutibus pollens coactus ad regimen veniat.* S. Iſidorus *Lib. III. Sent. c.* xxxiv. inquit: *Ad diſpenſationem eccleſiaſtici Ordinis, ſi ex Dei voluntate pervenerit, nolens quidem, ſed humilis gubernandam ſuſcipiat.* Quiſque igitur cui ſua æterna ſalus cordi eſt, inconſultis viris doctis & probis, tantum non ſuſcipiat ſarcinam. Plures poſſent, niſi ſint obcæcati, deprehendere in propria ignorantia, & defectu ſcientiæ ac fortitudinis, aliiſque tum corporis, tum animi vitiis ſuam ineptitudinem ad tantum gradum. Qui vero ſcientia, zelo, pectoris robore, aliiſque dotibus coruſcant, non ideo ſe dignos reputent, excepto aliquo extraordinario caſu: quia iuxta communem providentiæ ordinem vocatio Dei ad hos gradus non innoteſcit, niſi hominum miniſterio.

IX. Epiſcopi autem eſt explorare, num ordinandus ſit a Deo vocatus, ut Tridentinum *ſeſſ.* xxiii. *cap.* vi. ait. Nullus debet ordinari qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis. Verum fieri poteſt ut Eccleſiæ miniſtris indigeant, atque adeo iudicare Epiſcopi poſſint utiles, aut neceſſarios eſſe ordinandos. At non ideo ſequitur ut iſti vocati, præditique ſint neceſſariis dotibus. Et Epiſcopi frequenter pluribus diſtenti negotiis ordinandorum vocationi explorandæ vacare nequeunt. Conſulant ergo candidati ſive ad Ordines, ſive ad paſtorale officium ſuſcipiendum viros doctos, & vere probos, qui non erubeſcant Evangelium Chriſti, quibus ſecretiora conſcientiæ arcana patefaciant, ut iudicium audiant ſuæ vocationis.

X. Nonnulli æſtu ambitionis pereiti, & ſuperbia tumidi blaterant, hac ætate iacere omnes, neminemque promoveri, niſi officia, procurationes, & conſueta humana media permittantur. Diſtinguo. Nemo eorum qui tacent, qui non quærunt, qui non ſupplicant, promovetur ab homine, concedo; a Deo, nego. Cedo: vis promoveri, & deligi ad dignitatem ab homine, repugnante Deo; vel a Deo, ſublata humana induſtria & artificio? A Deo, inquis. Quid ergo garris iacere illos qui hominum induſtria non utuntur ad indipiſcendas dignitates? An ignorat Deus dotes, & aptitudinem tuam? An ſi te iudicaverit idoneum, non diſponet ſua infallibili providentia ut præficiaris Eccleſiæ moderandæ? Sedulam tu impende operam ſcientiis addiſcendis, Scripturis ſanctis meditandis, conſcientiæ tuæ excolendæ, & Deo te committito, ut ad eum te deligat gradum & dignitatem quam humeris tuis parem ſolus ille cognoſcit. Non te abripiat torrens multitudinis, quæ oppoſitam inſiſtit viam, & humanis artificiis, & muliercularum etiam leno-



lenociniis viam ſibi aperiunt ad eccleſiaſticas dignitates; ſed a Deo ſolo, & ab iis qui Dei loco te regunt, expecta deſtinationem tuam. Quod ſi feceris, & tibi, & aliis utilis eris.

## CAPUT VIII.

### *De cælibatu ſtatui Clericorum annexo.*

I. Legem perpetuæ continentiæ contrariam iuri naturali, & divino eſſe blaterarunt Wicleffus, Lutherus, Calvinus, & alii Novatores, quorum Patriarcha fuit Iovinianus a S. Hieronymo profligatus. Catholici omnes defendunt, legem perpetuæ continentiæ nec naturali, nec divino iuri adverſari. Ait enim Apoſtolus I. Cor. vii. *Volo enim vos omnes eſſe ſicut meipſum . . . Dico autem nuptis, & viduis; bonum eſt illis, ſi permaneant ſicut & ego . . . . De virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus a Domino, ut ſim fidelis.* Numquid Apoſtolus contra ius aut naturale, aut divinum conſilium dedit? Verba divina, *Creſcite & multiplicamini*, Gen. i. genus humanum univerſe ſpectant, vimque præcepti habent, quando ſine coniugio genus humanum deficeret; ut mundi initio contigit, & ſtatim poſt diluvium. Si lex perpetuæ continentiæ pugnaret cum iure aut naturali, aut divino, peccaſſent B. Virgo, S. Ioannes Baptiſta, immo & ipſe Chriſtus D. Eccleſia autem neminem lege continentiæ adſtringit, ſed Clericos qui libere ſtatum clericalem profitentur, liber eque votum emittunt, cogit in propoſito permanere. An herus iure reipuere iſtos miniſtros non valet a ſua familia qui renuunt vitam cælibem? Quidni & Eccleſia a ſacro miniſterio uxoratos reiicere poteſt? Nec eſt quod opponant, Apoſtolos habuiſſe uxores, quas ſecum conducebant, ut *I. ad Cor. cap.* ix. teſtatur Paulus: *Numquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli?* Tertullianus *Lib. de Monogam. cap.* viii. S. Hieronymus *Lib. adv. Iovin.* & communiter Patres, mulierum nomine intelligunt mulieres religioſas, quæ, quemadmodum Chriſtum, ita & Apoſtolos ſequebantur. Apoſtoli enim poſt vocationem ſuam, ſi qui habuerunt uxores, eas dimiſere; ut colligitur ex *cap.* xix. *Matth.* Communis tamen Patrum ſententia eſt, omnes Apoſtolos fuiſſe cælibes, uno Petro excepto. Et quamvis dicat S. Clemens Alexandrinus, S. Paulum ante vocationem nuptias celebraſſe; quod alii Patres negant; tamen ipſe aſſerit poſt vocationem uxori non adhæſiſſe. Sed verius eſt illam numquam habuiſſe. Adoleſcens enim erat, quando Stephanus lapidatus eſt, & anno ſequenti vocatus a Chriſto fuit. Idem Apoſtolus dum I. Cor. vii. ait: *Propter fornicationem . . . unuſquiſque ſuam uxorem habeat*: coniugatos alloquitur, ut S. Hieronymus interpretatur; vel ſi de innuptis ſermonem habet, nuptias non præcipit, ſed permittit; ut Chryſoſtomus in I. *ad Timoth.* cum ceteris Patribus explicat.

II. Cælibatus non eſt iure divino, ſed eccleſiaſtico, ſtatui clericali annexus, ut communiter Theologi docent. Prima pars patet: quia nuſquam in Scripturis ſanctis, aut in Traditione tale præceptum divinum occurrit. Ius vero eccleſiaſticum, præcipiens cælibatum Clericis, ab ipſis Apoſtolis exordium accepiſſe teſtantur Paulinæ epiſtolæ. I. ad Tim. iii. *Oportet . . . Epiſcopum ſine crimine eſſe . . . ſanctum, continentem.* Qui autem continens eſt, ſine uxore vivit. Nam *qui* (ſubdit Apoſtolus I. Cor. vii.) *non ſe continent, nubant.* Rurſus II. ad Tim. ii. *Labora, ſicut bonus miles Chriſti Ieſu: nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* Qui ergo Chriſto ſe addixit, & quidem ſolemni ritu, illi ſoli placere totus ſtudet. Contra ſubdit Paulus I. Cor. vii. *Qui cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt.* Hanc diſciplinam Eccleſia tum Græca uſque ad viii. ſæculum, tum Latina ad hanc uſque ætatem ſervavit.

III. Origenes, qui ii. & iii. ſæculo vixit in *Num. hom.* xxiii. hæc habet. *Certum eſt quia impeditur ſacrificium indeſinens iis qui coniugalibus neceſſitatibus ſerviunt: unde videtur mihi quod illius ſolius eſt offerre ſacrificium qui indeſinenti & perpetuæ ſe devovit caſtitati.* Euſebius Lib. I. Demonſtr. evangelicæ cap. ix. *Veruntamen eos qui ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos a commercio uxoris decet.* Similia habent Concilium Ancyranum, Epiphanius, Chryſoſtomus, & alii. Nam S. Hieronymus diu apud Græcos degens adverſus Vigilantium, quem Dormitantium, & uteros feminarum anhelantem appellat, ſcribit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes: aut, ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſinunt?*

IV. Eccleſiæ Latinæ teſtimonia luculenta ſunt. Concilium Eliberitanum an. 305. cap. xxiii.

XXIII. *Placuit in totum præcipere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis abſtinere ſe a conjugibus, & non generare filios.* Clarius Concilium Carthaginenſe II. ann. 390. c. III. *Omnibus placet ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contractant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab uxoribus abſtineant, ut quod Apoſtoli docuerunt, & obſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Hoc ſolum Conciliare teſtimonium perſpicue apoſtolico-eccleſiaſticam traditionem manifeſtat. Evidenter ergo falluntur qui a Siricio ſummo Pontifice hanc diſciplinam arceſſunt. Nam hic Pontifex *epiſt.* ad Himerium Tarraconenſem antiquas ſanctiones allegat, minime novam condidit. *Quorum ſanctionum Sacerdotes omnes indiſſolubili lege conſtringimur, ut a die Ordinationis noſtræ, ſobrietati, & pudicitiæ & corda noſtra mancipemus, & corpora.*

V. S. Leo *epiſt.* lxxxiv. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem hæc ſcribit. *Nec ſubdiaconis quidem carnale connubium conceditur, ut & qui habent, ſint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares, & innupti.* Superfluum eſt innumera poſteriora Concilia allegare, in quibus legem perpetuæ continentiæ a ſtatu clericali indivulſam fuiſſe narratur. Nec eſt quod obtrudant Novatores plura exempla Sacerdotum qui uxores ante Ordinationem ductas, non diſſentientibus Conciliis, retinuerunt, & filios ſuſcepere. Illas enim retinuerunt ut ſorores. Si vero filios procrearunt, legis violatores, ut Lutherani, & Calviniſtæ, fuerunt.

VI. Lex continentiæ circa Subdiaconos varia fuit. Concilia Eliberitanum, Carthaginenſe, S. Leo cælibes manere Subdiaconos ſtatuunt. S. Gregorius legem, qua Anteceſſor ſuus Pelagius II. Subdiaconos Siciliæ ab uxoribus ſejunxerat, auſteriorem judicavit, eamque *Lib. I. epiſt.* xxiv. delinivit hoc pacto, ut nullus in poſterum ad Subdiaconatum promoveretur, niſi perpetuam profiteri continentiam vellet; ſed uxoratis Subdiaconis indulſit uxorum uſum, & liberorum procreationem. Concilium Romanum ſub Gregorio II. & aliud ſub Zacharia Subdiaconos continentiæ lege non obſtringunt. Tandem ſæculo XI. poſt Urbani II. in Concilio Claramontano decretum, Eccleſia Latina Subdiaconos ad perpetuam continentiam obligavit.

VII. Poſt hæc tempora matrimonia Subdiaconorum invalida ſemper fuere; ut habetur ex Concilio Lateranenſi I. can. XXI. *Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus & Monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus, contractaque matrimonia ab hujuſmodi perſonis disjungi.* Hoc decretum confirmarunt Eugenius III. Alexander III. in Concilio Lateranenſi III. Et tandem Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *can.* IX. hæc ſancivit adverſus Novatores. *Si quis dixerit, Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos.... poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica .... anathema ſit.*

VIII. Quam ſalubris, & conſentanea lex continentiæ ſit ſacris miniſtris, ex eorumdem officiis, quæ præſtare tenentur, colligitur. Illorum quippe eſt. 1. offerre ſacrificia, & altari inſervire. 2. orationi & contemplationi Scripturarum vacare. 3. fideles ædificare, docere, & ad virtutum exercitia inflammare. 4. pauperum, atque viduarum curam gerere. Porro quis non videt, his functionibus matrimonium obeſſe? Matrimonii opera, quamquam licita ſint, quamdam tamen & corporis pollutionem, & mentis inquinationem inducunt, quæ puritati miniſtrantis ad altare officiunt. Achimelech propoſitionis panes comedendos Davidi, ejuſque militibus dare noluit, niſi certior prius factus fuit, illos ab uxoribus aliquamdiu abſtinuiſſe. Et Sacerdotes veteris teſtamenti per vices miniſtrabant, ut miniſtrantes ab uxore & domo abeſſe poſſent; quemadmodum *Libr. I. Paralip. cap.* XXIV. colligitur. Hinc Innocentius I. *epiſt.* III. infert. *Quanto magis hi Sacerdotes, & Levitæ* (novi fœderis) *pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſervare debent, quibus vel Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſſione eſt, nec præterit dies qua vel a ſacrificiis divinis, vel a baptiſmatis officio vacent!* Qui vinculo conjugali obſtricti ſunt, quæ ſunt mundi cogitant, quomodo uxoribus placeant, liberos alant; negotiis ſæculi diſtinentur, & ſtabiliendæ familiæ augendæque continuam navant operam. Hi ne tranquillum animum, purgatum cor, ſerenam mentem poſſident, prout Dei miniſtros decet? S. Paulus *I. Cor.* VII. fideles conjugatos hortatur, ut ex conſenſu mutuo ſe ſeparent ad orationi vacandum, quanto magis Sacerdotes Dei, quibus orandi, & ſacrificandi juge officium eſt? Porro *qui ſine uxore eſt* (inquit Paulus I. Cor. VII.) *ſollicitus eſt quæ Domini ſunt.*

IX. Blaterant Novatores, legem illam malam eſſe quæ ruinæ occaſio pluribus eſt. Lex autem cælibatus in cauſſa eſt cur plurimi Sacerdotes ſacrilegos concubinatus foveant, & fornicationibus polluantur. Plures putidas fabellas, ut illa de ſex millibus infantium ſuffocatorum ex fornicatoribus Clericis ortorum, tempore ſancti Gregorii, narrant. Sed partim commenta mera ſunt, partim ex iniquitate hominum parta. Nulla lex tam ſancta, quæ hominum malitia depravari nequeat. Lex cælibatus non eſt occaſio per ſe, ut dicitur, ſed per accidens, ruinæ ſpiritualis plurium Sacerdotum. Si conſideret Lutheranorum, & Calviniſtarum ſophiſma, non debuiſſet Deus præceptum primis parentibus imponere, nec ullam legem condere. Adeo futilia, & inepta ſunt quæ obtrudunt Novatores, ut pudere illos deberet ejuſmodi fabulas contra univerſalem Eccleſiæ legem objicere.



## CAPUT IX.

### *De Tonſura, habitu clericali, & præviis diſpoſitionibus.*

I. Dictum ſupra eſt tonſuram non eſſe Ordinem, ſed eſſe cæremoniam ab Eccleſia inſtitutam, qua laicus baptizatus, & confirmatus in Clerum adſcribitur. Inſtituta ab Eccleſia Latina eſt, quam Eccleſia Græca non obſervat: & tribus primis ſæculis nullum ejuſdem veſtigium apparet. Chriſtianus ſolum baptizatus, & confirmatus, ſecus neophytus nondum confirmatione munitus, aptus eſt ut Tonſura initietur ſacro ritu, quo ex laicorum ſtatu in Clerum adſcribitur. Sciendum tamen, non omnes Tonſura inſignitos gaudere honoribus, & privilegiis Cleri, ut Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* VI. *de refor.* decernit. *Is etiam fori privilegio non gaudeat, niſi Beneficium eccleſiaſticum habeat, & Tonſuram deferens alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola, vel in Univerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur.* Cauſſa cur hanc ſacram Tonſuræ cæremoniam Eccleſia inſtituit, eſt Sacerdotii ſanctitas. Quemadmodum enim ad profeſſionem monaſticam idoneus non reputatur qui per annum regularis diſciplinæ tyrocinium non præmiſerit; ſic Eccleſia ſapienter ordinavit ut adſcribendus in Clerum, 1. abjiciat veſtem laicalem. 2. caput tondeat. 3. veſtem Clericorum propriam induat. 4. ſanctioris vitæ diſciplinam profiteatur.

II. Habitus clericalis duplex. Alius communis ad uſum quotidianum, qui eſt nigri coloris & talaris. Alius ſolemnis, qui ſuperpelliceus nuncupatur, & priori veſti ſuperponitur, ab ipſo Epiſcopo dicente: *Induat te Dominus in novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Clericus igitur exuens laicales veſtes, & capillos præcidens, ſæcularem hominem ſe exuiſſe teſtatur. Dum vero ſuperpelliceum induit, novum hominem, ſeu novam ſanctiorem vitam profitetur. Præclare Ivo Carnotenſis Clericum docet methodum qua hanc ſanctiorem vitam aſſequi valeat, exemplo ipſius ſuperpellicei, qui ex lino fuſco, & obſcuro repetitis percuſſionibus, & ablutionibus evadit candidiſſimus. *Byſſus* (inquit Ivo de veſtib. ſacerd.) *eſt genus lini candidiſſimi, ad ſummum candorem multa vexatione, & ablutione perductum: ſignificat autem perfectam carnis munditiam... Hanc munditiam caro ſacerdotalis ex ſe non habet, ſicut nec linum ex ſe eſt candidum; ſed, ſicut dictum eſt, multis caſtigationibus, & ablutionibus redditur candidum, ut aptum fiat indumentis Pontificum. Forma eſt ſacerdotalis munditiæ, ut ſecundum Apoſtolum Sacerdotes carnem ſuam caſtigent, & in ſervitutem redigant, & præeunte gratia habeant per induſtriam quod non potuerunt habere per naturam. Hæc veſtis.... talaris appellatur, quia a collo uſque ad talos extenditur.* Plura hic dicenda eſſent in commendationem habitus clericalis, ſed brevitatis cauſſa omitto.

III. Quæſt. I. *Peccent ne mortaliter qui habitum clericalem non deferunt, nempe veſtem, & Tonſuram?* Reſp. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. num.* 1371. *& ſeq.* refert opinionem *P. Gobat*, aſſerentis non eſſe mortale, *ſi non ſit periculum cauſſandi vilipendium & contemptum*. Et hanc opinionem more ſuo judicio lectoris permittit. Subdit hanc laxam opinionem. „ Nemo enim arguet Parochum „ mortalis, in cujus capite per ſex, vel „ octo hebdomadas non apparet veſtigium co- „ ronæ, *etſi conſtitutiones ſynodales id man-* „ *dagent*." Parochus ergo qui per integrum & alium menſem tranſgreditur conſtitutiones ſynodales, nemo arguet peccati mortalis? En unam ex cauſſis cur Sacerdotes nec tonſuram, nec veſtem talarem deferunt. Epiſcopi, Concilia præcipiunt & tonſuram, & habitum clericalem deferre. Erumpunt in medium Caſuiſtæ nonnulli, & edicta Epiſcoporum, ac Conciliorum eludunt ſuis diſtinctiunculis. Audi aliam opinionem, quam ſubjicit idem La-Croix ibi *n.* 1375. „ Si Clericus in ſacris conſtitutus alat longam co-

„ mam, *Abb. Diaz*, & alii dicunt eſſe mor- „ tale; ſed communius, & probabilius ne- „ gant *Caiet. Sayr. Groz.* aliique cum *Quarti*, „ ſi abſit contemptus, & ſcandalum; *quia* „ *quamvis fiat comminatio excommunicationis*, „ communis tamen eſt ſententia ſecundum „ dicta *l.* 1. *n.* 611. quod comminatio gravis „ non ſemper indicat grave præceptum, ſi „ pœna ſit ferendæ ſententiæ." Sub peccato excommunicationis vetant Epiſcopi, vetant Synodi, ne comas longas Clerici deferant; & hæc graviſſima excommunicationis comminatio non ſemper indicat grave præceptum? Et quia non ſemper hoc grave præceptum indicat, ideo in hoc caſu non indicat; & ſic dicetur in altero caſu &c. An eiuſmodi diſtinctiunculæ, & opinationes manifeſte deludant & Synodorum, & Epiſcoporum ſaluberrimas Sanctiones, ceteri iudicent. Rogandi eſſent eiuſmodi Caſuiſtæ: quo iure Synodorum decreta ad proprias cogitatiunculas detorqueant.

IV. Miſſis itaque horum Caſuiſtarum commentis, ad propoſitum quæſitum reſpondeo, Theologos graviores communiter defendere, Clericum peccare mortaliter qui tonſuram, & habitum clericalem non defert. Hæc doctrina centies in Conciliis definita, & confirmata eſt. Quid quod ipſi Caſuiſtæ etiam benigniores hanc ſententiam defendunt? ut animadvertit doctiſſimus Bonus Merbeſius *diſſ.* VI. *quæſt.* XV. inquiens: *At reipſa quidem ipſi Caſuiſtæ, quibus plerique nihil in ſacris litteris evolvendis, nihil in ſanctis Patribus, & Conciliis lectitandis verſati, plus æquo confiſi, omnem in omnibus habent fidem.... in eam conceſſere partem, ut tonſuræ, & habitus clericalis neglectum, & omiſſionem inter peccata mortalia recenſerent; & inſuper homines talis omiſſionis conſcios excommunicationis anathemate perculſos, vel percellendos aſſererent.* Allegant Fumum, Surum, Axorium, Caietanum. Verum, ad Caietanum quod attinet, fallitur Merbeſius: nam Caietanus laxam doctrinam docet in Sum. verb. *Cleric. peccata*. Quamvis enim Caietanus ſub initium dicat: *Clericorum peccata ex tranſgreſſione iuris poſitivi ſunt tot, ut vix numerari queant*; tamen poſtea hæc peccata ad veniales culpas reſtringit. Idcirco illius opinionem, non ſecus ac illam Gobat, La-Croix & aliorum improbo. Ut enim toties ad ravim uſque dixi, non minus domeſticorum, quam extraneorum laxitatis paradoxa refellere in animo eſt.

V. Quæſt. II. *Peccant ne Clerici qui habitum clericalem ad formam habitus laicalis accommodant, comaſque cincinnatas, & pulvere odorifero aſperſas deferunt, tonſura vix apparente?* Reſp. Quid adverſus torrentem moris humani hiſcam? Numquid contra communem, & prævalentem corruptelam vocem exaltabo? At numquid Chriſti Evangelium erubeſcam? Numquid Conciliorum, & S. Matris Eccleſiæ doctrinam abſconditam tenebo? Abſit. Ediſſere ergo. Status clericalis inter omnes alios ordines ſanctiſſimus refulget, cuius Patriarcha, non homines, ut Clauſtralium, ſed ipſe Chriſtus eſt. Habitus Sacerdotum, ſive Clerici ſæcularis ſit, ſive clauſtralis, hoſtiliter oppoſitus eſt luxui, faſtui, & vanitati mundanæ. Quid, ſi Clauſtrales veſtem monachalem ad formam vulgo *la moda* accommodarent? Quid, ſi cincinnati, ſi cyprio pulvere aſperſas comas deferrent? An non ſe deridendos, ſibilandoſque propinarent? Dubio procul. Quidni & Sacerdotes ſæculares, quorum ſtatus propinquius ad populum ſanctificandum inſtitutus eſt? Clamant Sacerdotes ſæculares, ſe a Deo ad plebem regendam, excolendamque inſtitutos eſſe; mendicantes vero Fratres, omneſque Clauſtrales cooperatores dumtaxat eſſe. Veritas hæc eſt luculenta. Maiorem ergo modeſtiam, ſanctioneſque præſeferant Sacerdotes ſæculares mores oportet. Quid ad hæc? Habitus clericalis Religioſus a Synodio *Lib. IV. epiſt.* XXIV. vocatur. Habitus ſancti nominis a Salviano *Lib. IV.* Sacra veſtis a Balſamone in *can.* LXI. Apoſtolorum. Habitus Religionis a Conſtantio in vita S. Germani. Porro, ut veſtis clericalis ſanctitatem percipiant, miniſtri Dei meditentur tremenda verba quibus Pontifex Clericum contumacem degradat. *Auctoritate Dei omnipotentis tibi auferimus habitum clericalem, & nudamus religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, ſpoliamus... & veluti clericalis poſſeſſionis indignum redigimus te ad ſervitutem, & ignominiam habitus ſæcularis... Te veluti ingratum filium a ſorte Domini, ad quam vocatus fueras, abiicimus, & coronam tui capitis, regale quidem ſignum Sacerdotii, de tuo capite amovemus.* Quid ad hæc Clerici, inquit Ludovicus Habert *de Tonſ. Cler.* §. 4. qui cæco, rapidoque furore perciti ita in ſeipſos ſæviunt, ut propriis manibus veſtem clericalem ſibi detrahant, & ad ignominiam ſæculari habitus ſponte ſe redigant? Monachus qui habitum deſerit, ut Apoſtata punitur. Concilium Tridentinum in Clericos qui qualiacumque Beneficia eccleſiaſtica obtinent,



hæc *ſeſſ.* XIV. *cap.* VI. ſtatuit. *Si poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem illorum ordini, & dignitati congruentem, & iuxta Epiſcopi ordinationem, & mandatum non detulerint; per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio, & Beneficio, ac fructibus, & reditibus & proventibus ipſorum Beneficiorum; nec non ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & Beneficiorum huiuſmodi coerceri poſſint, & debeant, ſecundum conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam.* An pœnæ adeo graves peccatum graviſſimum non denotant?

VI. Quid porro refert quod ſacram veſtem, & clericalem tonſuram ſive *materialiter*, ſive *formaliter* (ut ſic loquar, quia ſignificans locutio eſt) dimittas? *Materialiter* dimittis, dum teipſa habitum ſacrum exuis. *Formaliter* habitum clericalem exuis, cum illum, retento colore, ad vanam formam (vulgo *ad modam*) laicalium veſtium vanitati accommodas. Tonſuram formaliter reiicis, cum illam infra cincinatam comam abſcondis. Illam deturpas & maculas, cum profano odorifero pulvere aſpergis. Reſipiſce, o miſer, & ſquammis cæcitatis poſitis, criminis tui gravitatem meditare, dum in regale illud Sacerdotii ſignum, quod ſolemni ritu ſuſcepiſti, debaccharis, ſævis, furis, dum ad vanam profanamque inſanientis mundi formam illud detorques. Diſputandum eſſet, quinam gravius peccent: an qui materialiter miſſa clericali, laicam veſtem induunt: an qui, retenta materialiter veſte clericali, illam *formaliter* profanant, eamque ad elegantiam, luxum, & vanitatem ſæcularem transfigurant? Memento Deum non irrideri. Indumentum clericale ſive colore, ſive veſtium forma, ſive capillorum tonſione, modeſtiam, humilitatem, ſanctitatem, mundani faſtus, vanitatis & pomparum mundi contemptionem præferre omnino, & reipſa debet. Quid ergo adeo inſanis & furis, ut audeas ſacræ modeſtiæ, humilitatis, & ſanctitatis inſignia cum vanis mundi pompis permiſcere, atque coniungere? Claude quorumdam opiniunculis aures, & S. matris Eccleſiæ tot Conciliorum organo reſonantes voces audi. Clamat quippe Tridentinum Concilium, eiuſmodi vanos Clericos uno pede viam Clericatus, altero pede viam carnis, & concupiſcentiæ ambulare. *Tanta autem hodie* (inquit ſeſſ. XIV. cap. VI. de reform.) *aliquorum inoleuit temeritas, religioniſque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem clericalem parvi pendentes, veſtes etiam deferant publice laicales, pedes in diverſis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.*

VII. Quid vero de illis Confeſſariis dicendum qui eiuſmodi pulitulos, barbatulos, comatos, criſpatos, & cincinnatos Clericos, faſtum, venerem, & ſatanicam pompam uſquequaque crepantes, abſolvunt, & ad altare ſacrificaturos mittunt? *Qua conſcientia* (clamat Ludovicus Habert loc. cit.) *& religione Confeſſarii iis abſolutionis beneficium impendunt, extrema ſupplicia cum eiuſmodi larvatis Clericis experturi?* Utique habitus non facit Monachum, ut inquit Tridentinum *loc. cit.* idcirco præter habitum neceſſaria eſt morum ſanctitas: obcæcatio tamen magna eſt hoc axiomate abuti ad habitum clericalem profanandum. Senſus axiomatis eſt, ſatis non eſſe deferre humilem, modeſtum, & ſanctum habitum clericalem, ſed inſuper vitæ ſanctimoniam neceſſariam eſſe, ut mox dicam.

VIII. Quæſt. III. *Quinam ſunt diſpoſitiones prævia ad Tonſuram?* Reſp. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *cap.* IV. decernit, neminem Tonſura initiandum eſſe qui fidei rudimenta, legere, & ſcribere neſciat, & de quo probabiles coniecturæ non occurrant eum eſſe in ſortem Domini vocatum. Ætatis tempus canones non definiunt; Epiſcopi tamen communiter deſignant annum quartum decimum.

IX. Quæſt. IV. *Qui conſcius peccati mortalis Tonſuram ſuſcepit, ſit ne gravioris delicti reus?* Reſp. Tonſura, ut dixi, non eſt ſacramentum, ſed ſacramentale. Suſceptio autem ſacramentalis in peccato non videtur inferre grave peccatum. Nihilominus hunc aliquo modo peccaturum qui in peccato hoc ſacramentale ſuſciperet, ob peculiarem illius ſignificationem, & finem, certum eſt. Quid? In ſortem Domini eligitur qui a Domino averſus eſt? Ipſe communis ſenſus deformitatem quamdam deprehendit. Sanctiorem vitæ diſciplinam ſincero animo aggreditur qui culpa mortali inquinatus eſt? Diſputari dumtaxat poteſt, ſit ne mortalis, an venialis culpa hæc. Natalis Alexander *artic.* V. *reg.* 22. Hallerus *de Ord. Part.* I. *ſec.* IV. §. 1. defendunt peccatum eſſe mortale. Ethices benignæ patroni ſtant pro veniali. Quænam ſit ſententia verior, me latet: idcirco nihil deliberare audeo; quia æque per exceſſum, ac per defectum peccari poteſt. Sat nobis eſt ſcire eſſe peccatum, ut omnes Tonſura initiandos moneamus ut ſuam conſcientiam prius mundent.

X. Quæſt. V. *Clericus poteſt ne tuta conſcientia beneficium quodcunque accipere, vel retinere, ſi animum habeat deſerendi, aliqua occurrente cauſa, ſtatum clericalem?* Reſp. Una eſt, inquit Ludovicus Habert *loc. cit.* Theologorum vox, peccare mortaliter eum qui cum animo reſumendi ſtatum laicalem acceptat, aut retinet quodlibet beneficium: quia Eccleſiam circumvenit, & ſacros reditus furatur, cum in ſortem Domini vocatus abſolute non ſit. Aliqui Caſuiſtæ affirmant peccatum eſſe mortale, ſi beneficio ſit animarum cura annexa; ſecus, ſi beneficium ſimplex ſit. Verum mihi probabilior eſt ſententia Theologorum, & quidem gravium, qui defendunt peccare mortaliter omnes eos qui aut acceptant, aut retinent quodcumque beneficium cum animo redeundi ad ſæculum. Circumveniunt enim Eccleſiam in materia gravi animo deliberato. Neque dicas eos habere animum deliberatum permanendi in ſtatu clericali, ſi familia habuerit ſucceſſionem, ſi alter frater prole donatus fuerit; ſolumque in contraria hypotheſi ſtatum clericalem dimiſſuros. Quoniam voluntas hæc conditionata doloſa eſt, & uno pede in divinis, altero in carnalibus ambulat. Aut dimittendum beneficium, aut abſolute firmandus animus in ſtatu clericali. Hanc ſententiam defendunt præter Habert *loc. cit.* Dominicus Soto *Lib. X. de iuſt. quæſt.* v. *art.* 5. Cardinalis Toletus *Lib. V. cap.* v. & *Lib. VI. cap.* XVIII. Sylvius in 2. 2. *quæſt.* LXIII. *quæſtiunc.* 2. Sambovius *Tom. II. cap.* I. invictiſque rationum momentis confirmant.

XI. Quæſt. VI. *An ad validam Ordinationem neceſſarius ſit conſenſus ordinandi?* Reſp. Affirmant omnes. Hoc enim docet Innocentius III. cap. *Maiores* extra de baptiſmo, ubi hæc habentur. *Ille qui nunquam conſentit, ſed penitus contradicit, nec rem, nec characterem ſuſcipit ſacramenti.* Quod non minus de Ordinatione quam de baptiſmo verum habet. Qui tamen non abſolute contradicit, ſed tantum conditionali coactione ordinatur; puta, cum aliquis conſcius propter infirmitatis, nollet abſolute ordinari; ſed, cogente Epiſcopo, aut plebe, ordinatur: hunc valide ordinatum eſſe, docent iuris canonici interpretes: quia, omnibus ſpectatis, non reluctatur.

## CAPUT X.

*De electione miniſtrorum Eccleſiæ: de eorum ſcientia, ſanctitate, atque de ſpiritu, & ingenio ſacerdotali.*

I. NEceſſariam eſſe miniſtrorum Eccleſiæ electionem, omnes Catholici aſſirmant contra Wiclefum, & Hus: idque perpetua traditione, ab ipſis Apoſtolis promanante, conſtat. Diſputatur, a quibus eligendi miniſtri, & Paſtores Eccleſiæ ſint. Ante ſæculum duodecimum communiter in Epiſcoporum præſertim electione Clerici, & populi ſuffragia expectabantur. Ubique tamen hæc diſciplina non obtinebat. A ſæculo XII. nova electionis forma præſcripta eſt in Concilio Lateranenſi ann. 1215. tit. *de elect.* cap. *Quia propter*, ubi hæc habentur, *Quia propter diverſas electionum formas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent Eccleſiis viduatis; ſtatuimus ut, cum electio fuerit celebranda, præſentibus omnibus qui debent, & volunt, & poſſunt commode intereſſe, aſſumantur tres de Collegio fide digni, qui ſecrete, & ſigillatim vota cunctorum diligenter exquirant.... vel ſaltem eligendi poteſtas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore: aliter electio facta non valeat, niſi forte communiter eſſet ab omnibus, quaſi per inſpirationem, abſque vitio celebrata.* Hoc decreto ſoli Clericorum Collegio Eccleſiæ cathedralis eligendi Epiſcopi facultas coarctatur. Anno 1448. pro natione Germanica conventio inita fuit Nicolaum V. inter & Fridericum III. Imperatorem, qua Capitulis Eccleſiarum cathedralium electiones Epiſcoporum adſcriptæ fuere, reſervata ſummo Pontifici electorum confirmatione, aliiſque adiectis conditionibus. Concordata Leonis X. an. 1516. inita Bononiæ cum Franciſco I. Francorum Rege confirmata fuere in Concilio Lateranenſi V. vi quorum ius nominandi Regi tribuitur, & ſummo Pontifici Bullas & proviſiones concedendi, atque repudiandi electos, deſtitutos dotibus neceſſariis, reſervata facultas eſt.

II. Quæſt. I. *An iure divino electio miniſtrorum Eccleſiæ pertineat ad Clerum, & plebem?* Reſp. Affirmant Lutherus, & Calvinus, eorumque ſectarii: quorum errorem damnavit Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIII. *can.* VII. Nec unicum ex verbo divino adducere teſtimonium poſſunt, unde inferant ad plebem divino iure attinere electionem miniſtrorum. Hinc eſt quod diſciplina pro temporum diverſitate varia fuit.



III. Quæſt. II. *Quæ, & qualis ſcientia requiratur in ordinandis?* Reſp. Divina Scriptura a ſacerdotio ignaros reiicit, ut *Oſee* VI. habetur: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.* Et *Matth. cap.* XXIII. illiteratos Sacerdotes increpatos legimus: *Væ vobis duces cæci.* Et in canonicum cap. *Illiteratos* hæc habet: *Illiteratos, aut aliqua corporis parte vitiatos, vel imminutos nullus præſumat ad Clericatus ordinem promovere: quia litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officiis: & vitioſum nihil Deo prorſus offerri legalia præcepta ſanxerunt.*

IV. De neceſſitate ſcientiæ in ordinandis nemo ambigit. Explicandum nunc clarius eſt qualem addiſcere ſcientiam debeant. Scientiam quam Prophetæ, & Evangeliſtæ inculcant, eſt ſcientia legis divinæ in Scripturis ſanctis explicata. *Peccatum non cognovi* (inquit Apoſtolus Rom. VII.) *niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces.* Legi ergo evangelicæ addiſcendæ ſedulam navare operam Clerici debent. Quandoquidem *II. ad Timoth.* III. ſcribit Paulus: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Ad hanc divinæ legis in Scripturis ſanctis traditæ normam iudicaturus eſt Deus univerſum genus humanum. Quamobrem non modo Scripturæ ſanctæ, ſed omnia Concilia ſtudium Scripturarum inculcant, & SS. Patrum, qui eaſdem divinas Scripturas interpretantur. Concilium Nicænum II. *can.* II. inquit: *Noſtræ hierarchiæ ſubſtantia ſunt eloquia divinitus tradita. Divinarum Scripturarum vera ſcientia.* Rurſus diſt. I. cap. *Cum ignorantia*, hæc habentur: *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas ſanctas, & canones.* Non te Deus ob Caſuiſtarum, ſed ob Scripturarum neglectum redarguet, neque ſecundum Dianæ, Tamburini, La-Croixii, Bonacinæ opinationes, ſed ſecundum legis ſuæ præſcriptum iudicabit. Lubet huc transcribere præclari Theologi Ludovici Habert *de ſacrament. Ordin. Part. II. c.* VIII. verba.

V. „ Apage ergo modernos illos Theologos morales, qui in libris a ſe vulgatis doctrinam morum ſtabiliunt ratiunculis, & argumentis veriſimilibus, ne dicam ſophiſticis, vixque ſacrarum Scripturarum meminere, niſi ut earum ſenſum ad præconceptas opiniones deflectant; eoque progrediuntur, ut ſuſpectos in fide pronuntient qui ſicut fidei dogmata, ita morales concluſiones aſſerunt repetendas ex Scripturis ſacris, canonibus Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum ſcriptis. Operæ pretium foret, ut viri hierarchici collectas apud ſe haberent propoſitiones ex huiuſmodi libris magno numero excerptas, & cenſorie notatas tum a ſummis Pontificibus, tum ab Epiſcopis per varia loca, ac præſertim Gallicanis an. 1655. & 1700. tum ab inſignibus Academiis. "

VI. Numquam ſatis inculcari poteſt neceſſitas tum incumbendi in Scripturas, Patres, ſacroſque canones, tum aut abſtinendi a plurium Caſuiſtarum lectione, aut legendi illos cum magna cautione. Præter divinam legem inveſtigandæ ſunt & meditandæ humanæ leges tum eccleſiaſticæ, tum civiles. Si neceſſaria, inquies, eſt Scripturarum, Patrum, & canonum, non Caſuiſtarum ſcientia; cur Epiſcopi ſuper caſibus diſcuſſis a Caſuiſtis, non ſuper divinis Scripturis examinant ordinandos? Alibi, nempe *Tom. I. Apparatus* hanc diſpicio difficultatem. Epiſcopi examinare ordinandos ſolent ſuper Concilio Tridentino, eiuſque Catechiſmo, quorum doctrina tota eſt ex Scripturis ſanctis, ex Patribus, ex traditione hauſta. Si plura cupis de ſcientia ordinandorum, lege *notif.* XVI ſapientiſſimi Pontificis BENEDICTI XIV. editam Bononiæ an. 1735.

VII. Unum adiicere lubet. Si in ordinandis, ſi in Parochis, ſi in Confeſſariis requiritur Scripturarum, canonum, & Patrum ſtudium, quid de Epiſcopis dicendum erit? Si hi Scripturas ſanctas, & Patrum, atque canonum doctrinam ignorant, quomodo examinare ſuper his ordinandos, quomodo prædicare, & plebem docere valent? Deligent, inquies, doctum Vicarium, eruditos Examinatores, ſapientes Auditores, qui ſuas vices impleant. Ita ne vero? In militia civili electus ne umquam fuit dux exercitus qui belli artem ignoraret, quive aliorum miniſterio exercitum dirigeret? & in ſpirituali militia aptus dux, & dignus populi Doctor ille deligetur qui iſtius ſacræ militiæ leges & canones ignoret? Quomodo poterit deprehendere num Vicarius, vel Auditor, vel Examinatores reipſa ſecundum Scripturam ſanctam ordinandos, Confeſſarios, Parochos examinent, ſi ipſe Scripturas ſanctas non calleat? Eo in Epiſcopis altior, & ſublimior

tior requiritur ſcientia, quo eminentior eſt aliorum gradus.

VIII. Quæſt. III. *Quæ morum ſanctitas requiritur in ordinandis ſive Clericis, ſive aliis Paſtoribus?* Reſp. Quod ad ſuſcipiendos ſacros Ordines, ſeu ſacramentum Ordinis neceſſaria ſit conſcientiæ munditiès ab omni lethali culpa, nemo eſt qui ignoret. In præſens autem non de hac, ſed de illa morum integritate, qua exornari abſolute eſſe debent ordinandi, & perficiendi populis regendis, inquiritur. Apoſtolus Paulus ad Titum *caput* I. ſcribens deſignat quos in Preſbyteros, & Epiſcopos deligere oporteat. *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt . . . . Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.* Non dixit Apoſtolus, inquit S. Auguſtinus *Lib. I. contra duas epiſt. Pelagii*, Paſtores ordinandos debere ſine peccato eſſe: quia nullus ordinari poſſet miniſter, ſi dixiſſet Apoſtolus: *Nullum peccatum habentes, ubi ait, Nullum crimen habentes; multi quippe baptizati ſunt ſine crimine, ſine peccato autem in hac vita neminem dixerim.* Ut itaque ſenſum Apoſtoli teneas, animadvertas oportet, neminem ſine peccato eſſe, ſine crimine vero plures. Ut autem quis ſine crimine dicatur, non ſat eſt ut ante Ordinationem ſuam conſcientiam purget ab omni peccato; ſed oportet ut vitam duxerit irreprehenſibilem aut a ſuſcepto baptiſmate aut a pœnitentia diuturna peracta; ut a ſcandalis, & a moribus pravis abſtinuerit; ut non dederit argumenta indolis ſævæ, violentiæ, avaræ &c. ut exponit continuo ibi Apoſtolus: *Oportet ergo Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem.* Ante Ordinationem ab his criminibus immunis ſit oportet in conſpectu omnium. Diſtingue ergo peccata, quæ effectus ſunt humanæ imbecillitatis, a criminibus, quæ malitia, prava indoles, & vitioſi habitus pariunt. Ab his non ſemper, ab illis vitam immaculatam duxiſſe oportere ordinandos, docet Apoſtolus; rationemque ſubjicit *I. ad Timoth. cap.* III. inquiens: *Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Si enim ordinandus vitam duxiſſet in ludis, cum mulierculis, matronulis, comœdis, ſcurris, elluonibus; his criminibus onuſtus omnino ad tantum munus ineptiſſimus eſſet. Quæ crimina non unica confeſſione ante Ordinationem permiſſa, ſed plurium annorum intervallo ſevera pœnitentia, & publica morum integritate eluantur oportet, ut populus bonum teſtimonium, ſeu debitam ejuſdem probitatis exiſtimationem habere valeat. Perſequitur Apoſtolus ad Titum: *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.* Hoc S. Pauli documento ſummopere ætate noſtra opus eſt. Olim ſana doctrina fidei, nunc ſana morum doctrina graves ſuſtinet perſecutiones. Quare ſi duces, ſi ſuperintendentes, nempe Epiſcopi, ſanam Scripturarum doctrinam non callent; quomodo increpare, & redarguere contradicentes, quomodo miniſtrorum Vicarii, Auditoris, Examinatorum opiniones non ſanas a ſanis diſtinguere, quomodo deprehendere poterunt? Si probus, & morum integritate exornatus candidatus in Scripturis ſanctis, in Patribus, in diſciplina Eccleſiæ ita verſatus non ſit, ut ſanam Eccleſiæ doctrinam propugnare, & laxones, palponeſque, aut immanes æquo auſteriores redarguere queat, ad Epiſcopatum, ad Parochiam moderandum vocatus a Deo non eſt. Solus defectus ſcientiæ neceſſariæ ad defenſionem doctrinæ ſanæ certum loquentiumque communiter indicium eſt, candidatum non eſſe in Rectorem animarum a Deo vocatum.

IX. Perſequitur Apoſtolus ad Timotheum cap. III. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.* Probatio autem non unius hebdomadæ ſpiritualibus exercitiis, ſed diuturno tempore fiat oportet. Quandoquidem Apoſtolus monet, non eſſe eligendum *neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Neophytus eſt recens converſus, in virtute novitius & rudis. Hinc Eccleſia ſemper neophytos, ſeu recens baptizatos a ſacris Ordinibus rejecit; ut ex pluribus Conciliis conſtat.

X. Innumera ſunt Patrum teſtimonia, quæ ordinandos in Epiſcopatum, & in Paſtores animarum morum ſanctitate exornatos poſtulant. Pauca delibabo. S. Hieronymus in *cap. I. epiſ. ad Titum* hæc ſcribit. *Primum itaque ſine crimine jubetur eſſe Epiſcopus, quem puto alio verbo ad Timotheum irreprehenſibilem nominatum; non quod eo tantum tempore quo*

ordi-



*ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimine, & præteritas maculas nova converſatione diluerit; ſed quod ex eo tempore quo in Chriſtum renatus eſt, nullo peccati conſcientia remordeatur. Quomodo enim poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto ſimili corruit? aut qua libertate corripere peccantem poteſt, cum tacitus ſibi ipſi reſpondeat, eadem admiſiſſe quæ corripit?*

XI. S. Bernardus, rogatus a Brunone in Epiſcopum Colonienſem electo, num hanc probaret electionem, propterea quod hactenus mores ſuos ad normam evangelicam non informaſſet, *epiſ.* VIII. ſic reſpondet. *Horreo, fateor (ſic enim tibi, ut mihi loqui decet quod ſentio) horreo, inquam, conſiderans, unde, quo voceris; præſertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque hujuſmodi periculoſiſſimus tranſitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit ut prius propriam, deinde alienas curare ſtudeas conſcientias. Primus quippe pietatis gradus eſt, de quo ſcriptum eſt:* Miſerere animæ tuæ, placens Deo. *Ad hoc autem ad miſerandum proximo recto jam tramite caritas ordinata procedit: quippe quem ad ſui quiſque menſuram amare præcipitur. Quod ſi in hunc modum quo te hactenus amaſti, & tibi committendos amaturus es: malo ego quidem tibi non committi quam ſic diligi: ſi autem te prius diligere didiciſſes, & me forſitan ſcires amare. Sed quid, ſi ſuam Deus acceleret tibi gratiam, & multiplicet miſericordiam, & ſit ad reſtituendam innocentiam efficacior, velox quam diuturna clementia? . . . . Hoc ſalutis compendium ſanctus ille latro conſecutus eſt. Sed aliud eſt celerem adipiſci veniam peccatorum, aliud & de ipſis ſceleribus ad inſulas provehi dignitatem . . . . Video tamen Matthæum de telonio ad Apoſtolatus culmen aſſumptum. Sed hoc me rurſus conturbat, quod non prius audierit cum ceteris Condiſcipulis ſuis:* Ite in orbem univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ: *quam egerit pœnitentiam, multo labore ſequendo Dominum quocumque iret, permanens cum eo in tentationibus ſuis.* Ut ceteros mittam Patres, lege S. Thomam in *Supplem. qu.* XXXVI. *art.* I. ubi exponit, quanta morum probitate ornati eſſe debeant ordinandi, & illorum hallucinationem improbat qui facile ſemiignorantes, & minus probatos admittant ad habitum aut clericalem, aut monaſticum, propterea quod timeant deſuturos Eccleſiæ miniſtros. Nunquam enim, inquit Angelicus, ita deſerit Deus Eccleſiam ſuam, quin ſufficientes & idonei miniſtri inveniantur: concluditque, melius eſſe habere paucos miniſtros bonos quam multos malos.

XII. Quæſt. IV. *Quam grave crimen committat Epiſcopus qui cito manus imponit?* Reſp. Unum ex præcipuis monitis, quod *cap.* V. I. *ad Tim.* Epiſcopis inculcat Apoſtolus, illud eſt. *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* S. Thomas in hunc locum *lect.* III. hæc ſcribit. *Sicut non debet cito punire, ita nec cito promovere, idest ordinare ac facili ad ſacros ordines . . . Et quare? Quia ſi ordinate promoveas, & ex hoc contingat peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. Vel communicat alienis, quia non corripit, cum poteſt.* Scaturiginem tot malorum quæ Eccleſiam deturpant, ex facili manuum impoſitione Patres repetunt. Si promoverentur juvenes ſanie taboque libidinum diffluentes, mirandum ne eſſet, ſi caſtitatem, quam profitentur, horrendis ſacrilegiis contaminarent, & ſcandala enormia patrarent? *Non miramur, fratres,* (inquit S. Bernardus Lib. de converſ. ad Cler. cap. XIX.) *quicumque præſentem Eccleſiæ ſtatum miſeremur, non miramur de radice colubri regulum orientem: non miramur, ſi vendemiat vineam Domini, qui inſtitutam a Domino prætergreditur viam.* S. Joannes Chryſoſtomus *hom.* XVI. *in I. ad Timoth.* hæc habet. *Quid eſt illud cito? Non ex prima probatione, nec ſecunda, nec tertia; ſed ubi conſideratio diuturna præceſſit, exactiſſimaque diſcuſſio, tunc imponito manus: neque enim ea res periculo caret: eorum quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui initium dediſti etiam præcedentium delictorum.* Feliciſſima Eccleſiæ diſciplina eſſet, ſi quod ſacra Synodus Tridentina præcipit de ordinandis dumtaxat iis qui ſunt aut ſeipſa utiles, aut neceſſarii Eccleſiis quibus addicti eſſe debent, executioni adamuſſim demandaretur. Excuſari ſæpe Epiſcopi poſſunt, quia cordium ſecreta non penetrant. At ſæpe etiam deprehendere valent, nec utiles, nec neceſſarios eſſe illorum plurimos quos ad ſacros ordines promovent. Confeſſarii nullo modo excuſari poſſunt qui Ordinum candidatis, libidinum fœtorem olentibus, & inveterata vulnera patefacientibus, abſolutionem impendunt, ut ad tantum ſacramentum accedant. „ Quomodo ira Dei (inquit Ludovicus Habert Part. III. cap. III.) effugient Confeſſarii, quibus Ordinum candidati pridie, vel ipſo die ordinationis conſcientias occultis criminibus contaminatas exponunt, iiſque nihilominus viam ad Ordi-

„ na-

» nationem per abſolutionem ſternunt, quam
» eo conſtantius denegare deberent, quo illi
» inſtantius opponunt incommoda temporalia,
» puta infamiam, ſummam pauperiem, pa-
» rentum exprobrationes, beneficii obtenti peri-
» culum, niſi in præſentiarum ordinentur,
» cum vel inde ſe magis indignos prodant Or-
» dine, & conſequenter abſolutione.

XIII. Sed quodnam temporis intervallum requiritur ad idoneam eorum probationem qui in occulta carnis crimina prolapſi ſunt, antequam ad Ordines ſacros promoveantur? Regula præſcribi generalis nequit. Nam alii lapſi ſunt ante Ordinationem, dum erant laici; alii poſt aliquem ſuſceptum Ordinem: alii ex fragilitate; alii prava indole, & inveterata conſuetudine. Qui peculiaria contritionis ſigna exhibent, & carnem cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere ſtrenue curant, breviori probatione dignoſci, ſint nec ne idonei, poterunt. Illi vero qui ex longa aſſuetudine & propenſione ad venerem frequenter relapſi ſunt, ſi profeſſi iam callitatem fuerint, diuturna, atque ſevera pœnitentia probandi ſunt; ſi vero Subdiaconatu initiati non ſint, ad connubium alios remittat Confeſſarius, ut S. Bernardus *Lib. de conv. ad Clericos cap.* xx. ſuadet. *Utinam magis turrim inchoaturi, ſedentes computarent, ne forte ſumptus non habeant ad perficiendum. Utinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumptuoſa ſiquidem turris eſt, & verbum grande, quod non omnes capere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio melius nubere quam uri; & ſalvari in humili gradu fidelis populi quam in Clerici ſublimitate & deterius vivere, & diſtrictius iudicari. Multi enim, non quidem omnes, ſed tamen multi .... libertatem in qua vocati ſunt, in occaſionem carnis dediſſe videntur, abſtinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes. Parcite, obſecro fratres, parcite animabus veſtris: parcite ſanguini qui effuſus eſt. Horrendum cavete periculum, ignem qui paratus eſt, declinate.* Caveant ergo Confeſſarii ne dignos reputent ut ad ſuperiores Ordines, aut ad regimen animarum promoveantur pœnitentes frequenter violati aut baptiſmi, aut Ordinis reos, tametſi ab aliquot menſibus libidines frenaverint, niſi præterea expurgatum a terrenis affectibus animum, atque fervore caritatis æſtuantem probaverint. Caveant ordinantes, ne in templo Dei idolum collocent, inquit Habert, quod nec bonum, nec malum faciat. Quoniam Ordo ſacramentum eſt non tam ad ſuſcipientis, ut ſacramentum pœnitentiæ, & cetera, quam ad aliorum ſalutem inſtitutus. Communiter tum Patres, tum graviores Theologi docent, ex Religioſis longe plures damnari ob peccata omiſſionis quam ob crimina commiſſionis. Ordo aſſimilatur talentis, quæ *Matth.* xxv. ſervis dominus diſtribuit, cum uſuris exigendis. Servi inutiles in tenebras exteriores eiecti ſunt, non ob defraudata talenta, quæ integra cuſtodierunt, ſed quod congruum lucrum non retulerint.

XIV. Quæſt. V. *Quid ſit ſpiritus eccleſiaſticus, ſeu ingenium ſacerdotale?* Reſp. Eſt ardens ſtudium promovendi gloriam Dei, & proximi ſalutem. Cuiuſcumque artis ſpiritus ſeu ingenium ſitum eſt in flagranti ſtudio aſſequendi finem in quem ars ipſa tendit. Ingenium artis militaris eſt, præclara edere facinora, & ſumma animi contentione omnia eo collineare ut victoriam aſſequatur. Ingenium & ſpiritus artis negociatoriæ eſt magnos quæſtus facere, & vehemens deſiderium ut talis taberna frequentetur. Quinam finis ſtatus ſacerdotalis? Eſt, ut Dei nomen ſanctificetur, ut eius notitiam, fidem, & legem Sacerdos promoveat, unde proximi ſalus pendet. Ad quid enim ſummus Sacerdos Chriſtus miſſus fuit, niſi ut manifeſtaret nomen Patris ſui hominibus, & ſanctificaret eos in veritate? Huc ille vota, ſtudia, & conatus ſuos omnes contulit. Hoc idem diſcipulis ſuis mandavit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum* &c. *Ioan.* xx. Diſtinguendus eſt exterior apparatus habitus clericalis a ſpiritu interiori qui vivificat ſtatum iſtum. Cur imago, quantumvis omnia lineamenta exhibeat humanæ naturæ, non eſt homo? Quia deeſt ſpiritus hominis. Modeſtia, manſuetudo, veſtitus forma, & cetera ſtatus clericalis inſignia pictatam exprimunt eiuſdem ſtatus. Si ſpiritus proprie deeſt, Sacerdos æquivocus eſt; quemadmodum homo pictus non eſt homo. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*. Porro character ſacerdotalis non tam propriam quam aliorum ſalutem ſpectat. Ingenium & ſpiritus ſimplicis Chriſtiani ſibi ſtudet, ſibi invigilat, ſeipſum ſanctificat. Contra Sacerdos, quamvis externam Chriſtiani formam, & cæremonias obſervet, licet interſit divinis officiis, & alia munia obeat; ſi promovere Dei gloriam, & proximi ſalutem negligat, ſpiritu ſacerdotali caret.

XV. Diſtinguas tamen oportet Sacerdotes vitæ contemplativæ addictos, qui Deum glo-





rificant ab humano commercio ſeiuncti, continuis ſacrificiis, proque ſalute proximorum ferventes ingeſque preces Deo fundunt, a Sacerdotibus qui vitæ activæ dant operam, atque in fidelium mores formandos divini verbi prædicatione, & ſacramentorum adminiſtratione incumbere aſtringuntur. Igitur cum finis ad quem ordo clericalis inſtitutus eſt, ſit gloria Dei, & populorum ſalus; conſequitur neceſſario illius ſpiritum & ingenium ſitum eſſe in flagranti ſtudio exequendi ea omnia quæ ad hunc finem comparandum ducunt. Ex hoc ardenti ſtudio, veluti ex uberrimo fonte, ea omnia promanant quæ ſunt ſtatus ſacerdotalis propria. Sacerdotes qui hoc ſpiritu aguntur, ardenti ſtudio flagrant ut domus Dei miniſteria ſancte adminiſtrentur; quia inde fidelium pietas, & devotio accenduntur. Non labori, non induſtriæ, non rei familiari parcunt, ut plebem gregemque univerſum ſibi commiſſum a vitiis abſterreant, a lupis, ovium veſtibus, ſeu falſarum doctrinarum fucis tectis, præſervent, & ad virtutis, & chriſtianæ legis obſervantiam indocant, provocent, inflamment. Spiritus & anima hominis chriſtiani eſt amor Dei & proximi, quatenus ipſe Chriſtianus animam ſuam hoc cæleſti amore ſanctificat excolitque. Ultra progreditur ſpiritus ſacerdotalis: quoniam illius amoris flammas ex ſuo inſtituto & charactere in fidelium cordibus accendit. Cum Chriſtus Petrum caput Eccleſiæ inſtituit, hunc amorem poſtulavit. *Diligis me plus his? ... Etiam Domine; tu ſcis quia amo te.* Quid inde? *Paſce agnos meos.* Ioan. xxi. Quamobrem S. Paulus continenter clamabat II. Cor. v. *Caritas Chriſti urget nos, ut qui vivunt, iam non ſibi vivant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt:* & rurſus cap. xii. *Non quæro veſtra, ſed vos: non enim debent filii theſaurizare parentibus, ſed parentes filiis. Ego autem libentiſſime impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Spiritus inſitus matribus acerbiſſimos dolores ſuſtinet, ut pariant, moleſtias, tædia, faſtidia, ſollicitudines, laboreſque incredibiles ſtrenue perfert, ut editos partus nutriant, educent, perficiant. Conſidera amorem gallinæ erga pullos, & cuiuſcumque matris erga filios. An Spiritus ſanctus vehementiorem amorem, & ſpiritum non inſufflat Sacerdotibus, ad fidelium curam & ſalutem deſtinatis? Ergo illi qui ſegnes ſunt in Dei cultu, & gloria amplificanda, qui ſuſtinere labores, faſtidia, probra, maledicta, perſecutiones refugiunt in curanda proximorum ſalute, ſpiritu ſacerdotali vacui ſunt.

XVI. Quæſt. VI. *Quibus mediis comparatur ſpiritus eccleſiaſticus?* Reſp. Aſſignari quatuor ſolent. I. Præcedere Dei vocatio debet, tamquam primum fundamentum, ut docet Paulus I. Cor. vii. *Unuſquiſque primum habet ex Deo alius quidem ſic, alius vero ſic.* II. Abdicatio ſpiritus huius ſæculi, ideſt voluptatum, concupiſcentiæ & cupiditatis. Spiritus eccleſiaſticus nullo modo vivere aut cum concupiſcentia carnis, illecebrarum, & oblectamentorum huius mundi; aut cum concupiſcentia oculorum, ſpectantium comœdias theatrales, ſcenas, ludoſque; aut cum concupiſcentia divitiarum, honorum, & dignitatum poteſt. Hæ omnes radices præcidendæ, & quoad fieri poteſt, evellendæ ſunt, ut ſpiritus eccleſiaſticus in anima vivat. III. Eſt iugis atque perſeverans oratio, ut docet Evangeliſta Lucas cap. xi. *Pater veſter de cælo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Et Regius Propheta David *Pſal.* cxviii. inquit: *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.* Ut hunc ſpiritum aſſequerentur diſcipuli, erant perſeverantes in oratione, & ardentibus votis illum efflagitabant. S. Auguſtinus in præfatum Pſalmum ſcribit: *Aperuit os petendo, quærendo, pulſando; & ſitiens hauſit ſpiritum bonum, unde faceret quod per ſeipſum facere non poterat.* IV. Adiumentum comparandi ſpiritum eccleſiaſticum eſt conſuetudo familiaris cum Clericis doctrina ſana, pietate ſolida, morumque probitate florentibus. Hæc conſuetudo, ſi animo ſincero proficiendi in eccleſiaſtica diſciplina, & excolendo ſacerdotali ingenio fiat, uberrima pariet commoda. At cavendum ab hypocriſi eſt. Siquidem non deſunt qui ambiunt, & omni aſtutia fovent familiarem conſuetudinem cum Sacerdotibus doctrinæ & probitatis fama clariſſimis, ut ſua vitia obumbrent, ut auram popularem captent, ut viam ſibi aperiant ad obtinenda horum patrocinio officia, & miniſteria. At illi damnationem inde ſibi arceſſunt, unde alii ſpiritualia emolumenta ſibi comparant. Verum, ut hos ſcopulos declines, conſuetudo familiaris tua continua ſit cum ſanctiſſimis Clericis & Epiſcopis, Petro, Paulo, Evangeliſtis, Patribus, Conciliiſque. Hi enim ſpiritu Dei pleni te ſpiritum & diſciplinam eccleſiaſticam docebunt. Sedulo ſacros codices Patrum, & Concilii Tridentini volumina revolve, & ſerio meditare; & abſque ſeductionis periculo ſpiritum ſacerdotalem hauries.

## CAPUT XI.

*A quibus præſertim rebus abſtinere Clerici debent ratione ſui ſtatus. Laxæ* P. Claudii La-Croix *opiniones refelluntur.*

I. PLura de vita & honeſtate Clericorum dicenda forent; ſed paucis ea perſtringam a quibus abſtinere præcipue debent. Hæc omnia perſtringit Concilium Mediolanenſe I. *cap. XXVI.* ubi hæc habentur. *Qui Deo militat, implicare ſe negotiis ſæcularibus prohibetur. Idcirco edicimus, ne Clericus ſacris initiatus, aut eccleſiaſtico beneficio præditus coram judice ſæculari advocati aut procuratoris nomine cauſas agat, niſi ab aliis in judicium vocatus, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium perſonarum cauſas, ab Epiſcopo facultate prius ſcripto conceſſa, tueatur.*

1. *Ne in profanis negotiis officium tabellionatus exerceat.*

2. *Ne artem medendi faciat.*

3. *Ne in negotiationibus & mercaturis ſe interpretem & medium interponat.*

4. *Artes vero honeſtas concedimus, ut aliquid manibus ſuis lucretur, quo ſibi quæ ad victum neceſſaria ſunt, comparare poſſit.*

5. *Ne aliena prædia lucri cauſſa conducat.*

6. *Ne aliorum tutelam aut curam ſuſcipiat.*

7. *Ne pro aliis fidejubeat.*

8. *Ne alicujus Principis, aut alterius negotiorum procurator ſit, ſine facultate ab Epiſcopo prius per litteras impetrata, ſingulis annis renovanda. Neve parum memor muneris, ac dignitatis ſuæ ſit in famulatu laicorum etiam Principum, eorumque quibuſvis aliis obſequiis, niſi cui ex cauſa, & ad officium ſacerdotali munere non dignum Epiſcopus ſcriptis ei poteſtatem ſcripto ante fecerit.*

9. *Neve procurator, aut aſſecla fœminarum, aut eis diſcumbentibus aſſiſtat, aut ancillatur.*

Ut ab his ultimis verbis incipiam, paucas quæſtiunculas reſolvam.

II. Quæſt. I. *Peccant ne mortaliter Presbyteri ſæculares qui laicis, qui matronis ancillantur?* Reſp. Ut frequentiſſime dixi, mihi trutinæ caſuiſticæ non ſunt ad ponderandam plurium criminum malitiam. Propoſita quæſtio varios admittere caſus poteſt, in quibus aut neceſſitas, aut urgens convenientia vel a tanta, vel ab omni culpa excuſet. Ceterum corruptela hodierna, qua Presbyteri laicis familiis inſerviunt, & ſub prætextu educandi liberos negotiis familiæ ſe ſe immiſcent, dominabus inſerviunt, manus Deo conſecratas porrigunt, quibus mulierculas, quas matronas vocant, ſuſtentent ambulantes, cum eis ludunt, loquuntur: hæc, inquam, corruptela ſatis ſæva, & monſtroſa eſt. Presbyteri illi dignitatem ſacerdotalem deturpant, vilipendunt proprium characterem, profanant proprium gradum, & indigniſſimos Dei miniſtros ſe ſe produnt. Epiſcopi pectore ſacerdotali deberent eos ab altari arcere, & a celebratione ſuſpendere, & proculcatis humanis reſpectibus tam horrenda ſcandala a populo Dei auferre.

III. Quanta cautione Sacerdotes, & Confeſſarii declinare mulierum familiaritatem debeant, in præcedenti Tomo latius expoſui. Chriſtum Dominum, Sacerdotum exemplar, ſemel ſolum cum muliere Samaritana collocutum legimus. Diſcipuli autem admirati ſunt quod eam mulierem affaretur; cum nunquam antea mulierem aliquam ſolam alloquentem vidiſſent. Hoc exemplo docere divinus Magiſter diſcipulos ſuos voluit, quanta cura & ſollicitudine fugere mulierum familiaritatem debeant.

IV. Quæſt. II. *Utrum negotiatio Clericis ſit interdicta?* Reſp. Negotiationem vere talem Clericis eſſe interdictam, omnes fatentur. *Nemo* (inquit Apoſtolus II. ad Timoth. II.) *militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* Caſuiſtæ plures excogitarunt opiniones, quas omnes more ſuo collegit P. Claudius La-Croix *Lib. III. part. II. num. 997. & ſeq.* Et primo aſſerit, Clericum poſſe emere aliquid, ut conſumat; & ſi poſtea pretium illius creſcat, vendere poteſt; ſperans ſe vilius empturum: *eſt enim actus œconomicæ prudentiæ.* Sub illius œconomicæ prudentiæ pallio reipſa Clerici negotiantur. Prudentia hæc œconomica & mundana filiis hujus ſæculi, ſeu laicis hominibus conſentanea eſt, ſecus Sacerdotibus Deo militantibus.

V. Addit P. La-Croix ibi *num.* 999. ex *Manriquez*, *Delbene*, & aliis, teſte Gobat, poſſe Presbyteros emere uvas, & vinum vendere; dummodo ipſimet, vel eorum familiares vinum exprimant. Advertit tamen, id negare *Molinam*, *Caſtropalaum*, *Lugo*, ſi fiat per famulos conductos. Similiter narrat, *Molinam*, & *Caſtropalaum* docere, illicitum Clericis eſſe emere lanam, ut conficiant pannos vendendos; immo illicitum hoc eſſe volunt, etiamſi panni conficiantur per ſervos conductos ex lana propriorum animalium. Tamen, ſubdit Croix, dubitat *Lugo* de hoc. Iure dicunt, hæc & ſimilia commenta non inveniri in Patribus, & Conciliis.

VI.



VI. Pergit La-Croix ibidem *num.* 1000. texere cenſum opinionum Caſuiſtarum. „ *Gobat n.* 10. putat in Germania licitum eſſe
„ in Monaſteriis per famulos vendere vinum,
„ & panem: id enim proprie non eſſe ha-
„ bere tabernam, aut negotiari, ſed ſua
„ vendere tranſeuntibus. “ Hanc corruptelam ipſe propriis oculis vidi, ebrioſque ſpectavi juvenes inde diſcedentes. Illuc enim turmatim accurrunt, quia vinum eſt melius atque robuſtius. Vendere panem & vinum non eſt habere tabernam, ſed ſua vendere tranſeuntibus, & ingredientibus Collegia, & Monaſteria? Si tamen hoc vinum, & panem laici vendant tranſeuntibus, & ingredientibus, habent tabernam, nonne?

VII. *Mol. Layn. Caſtrop. num.* 4. dicunt illicitum eſſe Clerico (perſequitur La-Croix) emere jumenta, ut ea pro pretio elocet: quia videtur eſſe quædam negotiatio: ſed dubitat *Lugo num.* 34. quia emere poteſt dominum, ut elocet.

VIII. Hac methodo tota fere contexta eſt Theologia caſuiſtica P. La-Croix, quem *P. Franciſcus Antonius Zaccharia* Caſuiſtarum celeberrimum vocat: & mihi eſt potius opinionum contrariarum collector, qui lectoribus libertatem eligendi quam ſibi placuerit opinionem, paſſim relinquit. Hanc ego methodum, ut Pirrhoniſmi caſuiſtici ſpeciem redolentem, rejiciendam exiſtimo, ſalvo meliori judicio. Sed, ut evidentius confirmem hanc criticen in opera P. La-Croixii, reſcribo quæ ibidem *num.* 1002. *& ſeq.* inſarcit.
„ Quamvis *Molin. Rebel.* & alii cum *Ca-*
„ *ſtrop.* dicant Clericum peccare mortaliter,
„ ſi per unicum actum negotietur in materia
„ gravi; tamen putant aliqui probabilem eſſe
„ ſententiam *Caiet. Salas*, *Delbene* .... &
„ aliorum qui id negant. Et quoad nego-
„ tiationem in materia non gravi conſentiunt
„ omnes communiter cum Buſemb. ſupra.
„ Item plures apud Lugo n. 29. qui aſſentitur,
„ *ſi negotiatio non ſit in maxima ſumma.* “

IX. Ecce diſtinctiunculam, media qua omnes Clerici negotiari valent, quin peccent mortaliter. Diſtingue negotiationem *maximam* a negotiatione *magna*, & *ordinaria*. Clerici negotiationem *maximam* exercere nequeunt, *magnam* aut *ordinariam* poſſunt. Sed perſequamur opinionum collectionem.

X. Perſequitur P. La-Croix ibi *nu.* 1003.
„ Si Clericus negotietur per alium: v. g.
„ ſi pecuniam exponat, alius autem indu-
„ ſtriam: multi apud *Lugo num.* 36. dicunt,
„ eſſe illicitum. *Med. Arm. Mol. Rebel.* alii-
„ que communiter cum *Layn. n.* 40. cum
„ *Caſtrop. num.* 7. dicunt non eſſe ſaltem
„ *mortale*; veniale tamen eſſe docent *Mald.*
„ *& Mol.* quibus conſentit *Beb. l*, ſi per ſe-
„ ipſum rationes dati & accepti exigat. *Turr.*
„ dicit per ſe loquendo, & ratione prohibi-
„ tionis ne quidem eſſe veniale, & conſentit
„ *Lugo*, addens tamen poſſe eſſe veniale, aut
„ etiam mortale, ſi Clericus ſe ſimul parum
„ aut nimium tali negotiationi implicet. *Leſſ.*
„ *n.* 6. merito dicit id indecorum eſſe, nec
„ faciendum abſque juſta cauſſa. “

XI. Hæc eſt methodus quam in univerſa ſua Theologia ſervat Doctor iſte. Et hæc eſt ratio cur collectio harum opinionum adeo libenter ematur, & facile diſtrahatur. Nulla enim Moralis commodior hominibus, quibus variæ & contrariæ opiniones, veluti varia fercula pro cujuſque palati diverſitate, exhibentur. Dicet ne *P. Zaccharia*, ſincere a me non deſcribi collectionem P. La-Croixii? Rogo lectores omnes ut legant Auctorem illum; & manibus tangent veram eſſe meam in eumdem criticen.

XII. Conferant hunc opinandi modum cum doctrina Scripturarum, Patrum, & Conciliorum, quam ſupra hactenus tradidi: & judicent, an non verum ſit quod alias dixi, & repetendum ſæpius eſt, documenta Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Canonum inflammare ad ſpiritum ſacerdotalem; e contrario hæc pugnantium opinionum prælia non accendere, ſed frigefacere potius, & veluti extinguere ſpiritum illum quo Sacerdotes toti incumbere in gloriam Dei, & proximorum ſalutem procurandam debent. Quid? Negotiari Sacerdotes non per ſe, ſed per alios valent? Et hoc non eſt tot ſacrorum canonum legem circumvenire? Exponant Sacerdotes pecuniam, alii induſtriam; & *Turrianus* dicit, per ſe loquendo nullam, ne quidem venialem, intervenire culpam, & conſentit *Lugo*. Contractus *ſocietatis* in laicis eſt mercatura, ſecus in Sacerdotibus. Hoc negociationis genus non eſt illis prohibitum, ut cum *Leym. Caſtrop.* aliiſque communiter docent; quamvis multi apud *Lugo* oppoſitum adfirment. Ab his opinionum præliis cavete vobis, o Confeſſarii, o Sacerdotes Chriſti, & firmiter adhæreſcite Scripturis divinis, SS. Patribus, & Conciliis, quæ Dei Sacerdotibus omne mercimonium ſevere prohibent.

XIII. Quæſt. III. *An qualibet venatio ſit Clericis vetita?* Reſp. Canone *Epiſcopum* extr. de Clerico venatore hæc præſcribuntur. *Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, canes,*

eos

*aut accipitres, aut huiuſmodi ad venandum habere non licet. Quod ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus a communione; ſi Presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur.* Et alter canon ſub eodem titulo hæc continet. *Omnibus ſervis Dei venationes & ſilvaticas vagationes cum canibus, & accipitribus, & falconibus interdicimus.* S. Hieronymus in Pſal. xc. *Eſau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in Scripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem, piſcatores invenimus ſanctos.* Concilium Aquileienſe anno 1596. celebratum tit. 18. *Dicit canon: Eſau, venator erat, quia peccator erat. Quam vero ſit modeſtia clericali indignum, qui paulo ante Breviarium tractabat, & ſacræ lectionis ſtudio intendebat, eum publice accipitrem deferre, & ſua in eo ſtudia profiteri; quique cum Angelis in Eccleſia gratiarum actiones, & laudes Deo perſolvebat, eum inter canum latratus, & multitudinem verſari, & incomptis obſtrepere vocibus: ſacri canones declarant, omnes vero facile intelligunt . . . . . . Quod ut longe a Clericorum vita & honeſtate removeamus, omnibus Clericis, cuiuſcumque conditionis, & gradus ſint, venatorium ſtudium interdicimus, ac in eos gravius per illorum Ordinarios procedendum ſtatuimus.*

XIV. Plurimos alios canones tranſmitto, cum res natura ſua prodat indecentiam cum ſtatu clericali. Venationes autem Clericis illicitæ, ſunt clamoſæ, nempe cum canibus, avibus, & armis, puta ſclopis, peractæ. Quietæ quæ fiunt ſine canibus, avibus, & ſclopis, ſeu armis, ſed ſolis retibus, aut laqueis, licitæ ſunt; ut colligitur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* xxiv. *cap.* xii.

XV. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. num.* 1374. inquit „ Prohibitiones illæ nunc ita mitigatæ ſunt, ut ſi recreationis cauſſa fiat ſine *magno clamore*, vel contemptu, non facile peccetur mortaliter. *Nav. Mol. Turr. Lugo, Ill.* Addunt *Suar. Sa, Caſtrop.* etiam a veniali excuſari, ſi venatio ſit rara, & moderata, & ad reficiendas vires. „ Num. 1736. „ *Dicaſt. num.* 309. putat venationem etiam cum apparatu, & clamoſam non prohiberi Clericis, niſi fiat frequenter, & addit cum *Caiet. Nav. Silv. Bann. Molin Turr. Dian.* . . . licet fiat frequenter, non audere ſe damnare mortalis, ſi ex recreatione fiat: & ſi mortale ſit, cum *Rebell. Leſſ.* id eſſe ratione ſcandali.

XVI. Concilia condunt canones, reformare collapſam, aut conſervare vigentem diſciplinam ſtudent. Caſuiſtæ plures canones vanis ſuis commentis emolliunt, temperant, & temporis diuturnitate aut obſoleſcere, aut non obligare ſub mortali, immo ſæpe neque ſub veniali, docent. Venationes cum clamore vetitæ Clericis ſunt: P. La-Croix adiicit verbulum cum *magno clamore*, & ſic canones evaneſcunt. Quia quiſque arbitrio ſuo metitur *clamoris magnitudinem*, & omnes dicunt clamorem non eſſe *magnum*. Similiter omnes dicunt mercaturam non eſſe *maximam*, ſed vel parvam, vel mediocrem.

XVII. Quæſt. IV. *An plures Caſuiſtæ in cauſſa ſint cur ſacri canones non ſerventur?* Reſp. Recenſita commenta, & alia plurima, quæ in hoc opere refutavi, me cogerent proponere ſapientibus deſcriptum quæſitum. Reſolutionem dare ipſe nolo. Quid reſolvendum ſit, colligant ipſi cordati prudenteſque lectores. Profecto ſi omnes Caſuiſtæ unanimi conſenſu, miſſis vanis diſtinctiunculis, ſacrorum canonum de vita & honeſtate Clericorum obſervantiam promoverent, & inculcarent gravi oratione, divinis Scripturis adiectis, diſciplina eccleſiaſtica, & monaſtica refloreret. At quomodo reflorere poteſt, ſi Clerici legentes Caſuiſtas non paucos, vident ad eorum pravam conſuetudinem deflexos & mitigatos canones? Rem ſapientum iudicio ſubmitto. Omnes clamant: Si Confeſſarii concordes eſſent in adminiſtrando pœnitentiæ ſacramento, ingens profectus in populo Dei videretur. At quomodo concordes eſſe Confeſſarii poſſunt, ſi diſcordes, & diſſonantes ſunt magiſtri quos legunt?

XVIII. Quæſt. V. *Vetiti ne ſunt Clericis ludi aleatorum?* Reſp. Non modo antiqui, verum etiam moderni canones vetant Clericis ludos aleatorios, nempe omnes ludos fortunæ, ſeu ſortis. Miſſis pluribus antiquis Conciliis, Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. *can.* xxvi. inquit: *Clerici ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint.* Gloſſa plura adiicit, & citat Novellam cxxiii. c. x. ubi hæc habentur. *Interdicimus autem ſanctiſſimis Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, & Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis . . . . . ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes, aut inſpectores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculorum ſpectandi gratia venire.* Concilium Tridentinum *ſeſſ.* xxii. *cap.* i. *de reform.* inter plura quæ de vita & honeſtate Clericorum præſcribit, hæc inculcat. *Statuit ſancta Synodus ut quæ alias a ſummis Pontificibus, & a ſacris Conciliis de Clericorum*





*rum vita, honeſtate, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, comeſſationibus, choreis, ALEIS, LUSIBUS, ac quibuſcumque criminibus, necnon ſæcularibus negotiis fugiendis copioſe, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel maioribus, arbitrio Ordinarii imponendis, obſerventur; nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat.*

XIX. P. Claudius La-Croix *Lib. IV. n.* 1378. refert *Salas, Mol. Rebel. Azor. Caſtrop.* interpretantes prohiberi conſuetudinem ludendi, minime vero *una aut altera vice*. " Immo (ſubdit) conſuetudinem ludendi, ſi non fiat ob lucrum, ſed recreationis cauſſa, excuſant a mortali *Sa, Valent.* quamvis contrarium teneant *Salas, & Caſtrop.* putatque Salas prohibitionem horum ludorum non extendi ad Religioſos laicos, quia textus tantum habet de Clericis; ſed communis opinio cum *Nav. Suar. Valent. Caſtrop.* & aliis tenet oppoſitum.

XX. En mitigatos & temperatos canones, & apertam viam Clericis ludis aleatoriis indulgendi. Legunt iſti La-Croixium, alioſque citatos Auctores. Incipiunt illorum auctoritate fulti una aut altera vice ludere. Ex repetitis vicibus fit conſuetudo, & tunc patrocinantibus *Sa, & Valent.* dicunt, ſe ludere, non ob lucrum, ſed recreationis cauſſa. Tandem cum *Salas* tenent, hanc conſuetudinem ludendi non extendi ad Religioſos laicos. Auctores citati ſunt claſſici, ideoque efficiunt ſententiam probabilem. Sed tu lector, miſſis eiuſmodi commentis, in Conciliorum, & maxime Tridentini, doctrinam animum ſerio intendito, & a ludis omnino abſtine: immo caveas ne una aut altera vice ludas: quia ſi inceperis, ſenſim ſine ſenſu conſuetudine te irretitum invenies. Lubet in ſanæ doctrinæ confirmationem adducere Concilii Mediolanenſis I. *part.* ii. *tit. de Clericis* verba. *Clericalis Ordinis hominibus omne genus ſaltationis, & ludi, præſertim vero aleæ, & teſſerarum, de talorum interdicimus. Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur: item ſollis ludum, idest pilæ maioris. Nec ſolum ludere vetamus, ſed etiam ludorum ſpectatores eſſe nolumus, aut quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere. Si autem valetudinis cauſſa parva pila, aut alio non indecoro eiuſmodi exercitationis genere uti contigerit; nec publice id faciant, nec pecunia intercedat . . . in ludo, nec quidquam quod facile pecunia æſtimari poſſit.* Plurima alia Concilia provincialia poſt Tridentinum celebrata ſimilia docent. Sed eo malorum modus opinandi ætate noſtra recidit, ut Clerici, miſſis Conciliis, adeant aliquem Caſuiſtam, ut ibi commenta inveniant quibus conſcientiæ morſus obtundant. Sed ſciant, ſanctos Epiſcopos in Conciliis congregatos, Dei lumine perfuſos fuiſſe, & Clericorum, ac Chriſtianorum eſſe magiſtros: minime Caſuiſtas illos qui ab horum Conciliorum ſana doctrina recedunt.

XXI. Quæſt. VI. *Peccant ne mortaliter Clerici qui dimiſſo, aut occultato habitu clericali, larvati in publicum prodeunt?* Reſp. Affirmant communiter omnes vel ipſi benigniores Probabiliſtæ, uno excepto Marco Vidal, cuius opus proſcriptum eſt. Vix aliquem Theologum alicuius auctoritatis reperies qui Clericos tempore bacchanaliorum larvatos incedentes excuſet a peccato mortali. Audi unum Dianam, qui *Tom. VII. tract. v. reſ. 6.* quærit: *An clerici, incedentes per civitatem in diebus bacchanalibus perſonati peccent mortaliter? Puto non eſſe recedendum a communi ſententia Doctorum, nempe in tali caſu Clericos ſæculares, & regulares peccatum mortale committere.* Fuſius hanc quæſtionem diſpexi in *Diſciplinæ Apoſtolico-monaſticæ append.* iii. Eam iterum confirmo in *diſſ. de ludis theatralibus*, quam publici iuris iam feci. Interim ſciant, Clericis nullam occurrere opinionem vel leviter probabilem quæ eos eximat a peccato mortali, ſi perſonati per civitatem diſcurrant. Gravius peccarent, ſi perſonati intereſſent theatris, comœdiis, choreis. Abſtinere quoque Clerici debent a crapula, & ebrietate, potiori iure quam ceteri Chriſtiani. Plura dicenda adhuc eſſent de vita & honeſtate Clericorum; ſed brevitatis ſervandæ neceſſitas non ſinit. Huic itaque diſſertationi finem impono verbis piiſſimi Cardinalis Bellarmini *Lib. II. de gemitu columbæ cap.* v. concludentis. *Ex facilitate manus imponendi factum eſt ut hoc tempore ſit prope infinita turba Clericorum, quorum plurimi non aſpirant ad ſacros Ordines, ut ſit Dominus pars eorum, ſed vel ut ſubtrahant ſe a foro ſæculari, vel ut ſubſidium quærant vitæ temporalis, vel ut ad honores eccleſiaſticos aliquando conſcendant.* Difficiles ſint Epiſcopi in manibus imponendis, ficticia patrimonia reiiciant, non ordinent niſi quot ſunt Eccleſiæ aut utiles, aut neceſſarii: & continuo reformata eſt diſciplina clericalis.